ACTA SARCMASIANA

AD

VSVM REIPVBLICAE LITERARIAE

IN

VNVM CORPVS

COLLECTA

à

THEODORO CRVSIO.

A.C. CIↃ IↃCC XI.

SVMPTIBVS BACHMEIERIANIS.

LVDI LITERARII
APVD
SVIDNICENSES
IN
SILESIA CHORO
SCHOLARCHARVM
SPECTATISSIMO

GENEROSISSIMO. MAXIME. STRENVO CONSVLTISSIMO. AMPLISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

GOTTLIEB MILICHIO

SACRAE. ROMANAE. CAESAREAE. REGIAE. QVE. MAIESTATI

A

CONSILIIS

ET

IVDICII. REGII. IN. DVCATIBVS SVIDNICENSI. ET. IAVROVIENSI SECRETARIO

SPECTATISSIMO

SVMME. REVERENDO. AMPLISSIMO
CLARISSIMO. ATQ. DOCTISSIMO
DOMINO
GOTTFRIDO FVCHSIO
THEOLOGO. LONGE. CELEBERRIMO
ECCLESIAE. SVIDNICENSIS
IMMVTATAE. AVGVSTANAE. CONFESSIONI. ADDICTAE.
ORATORI. SACRO. FACVNDISSIMO
EIVSDEM. QVE
ECCLESIAE
INSPECTORI
ET
REVERENDI. MINISTERII. PRIMARIO, GRAVISSIMO.

NOBILISSIMO. CLARISSIMO. DOCTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

DOMINO

IO. CASPARI
THIEMIO

DOCTORI. MEDICO. CELEBERRI-
MO. ET. PRACTICO

APVD

SVIDNICENSES

FELICISSIMO

ECCLESIAE. ITEM. DVCALIS. SVIDNI-
CENSIS

PAESIDI, MERITISSIMO

DOMINIS

MAECENATIBVS

ET. AMPLIFICATORIBVS. OPTIMIS. MAXIMIS. QVE.

PRECES. INTER. ET. VOTA. ARDENTISSIMA

VT

SVMMVM. AC. COELESTE. NVMEN

TANTOS

PATRIAE PATRES

IN

REIPVBLICAE. EMOLVMENVVM

ECCLESIAE. SCHOLAE. QVE. INCREMENTVM

REI. LITERARIAE. ORNAMENTVM

FAMILIARVM. QVE. SPLENDIDISSIMARVM. AVGMENTVM

NESTOREOS. PER ANNOS

MODIS. OMNIBVS

SALVOS. SOSPITES. QVE

PRAESTET

HOC

REI. LITERARIAE

QVALECVNQVE. MONIMENTVM. RELI-GIOSE. DEMISSE. QVE. PONIT. ET

CONSECRAT

THEODORVS CRVSIVS

Lectori

HISTORIAE LITERARIAE PRVDENTIAE QVE CIVILIS CVPIDO

S. P. D.

MAgno uir ingenio ſit, oportet, qui cum iudicandi dexteritate ſummam eruditionis copiam coniunxerit, neque hoc temere quisquam in dubium uocabit. Exempli loco Summus Vitembergenſis Polyhiſtor, CONRADVS SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS, cuius & doctrinae apparatum, & uim iudicii admirandam, cultior ille Orbis ſtupuit dudum, nobis ante oculos obuerſatur. Iam primis enim aetatis ſuae annis magnum aliquid, ac ſupra uulgi captum ſpirare uidebatur, ideoque Praeſagia de noſtro non uana ſparſerunt Viri tunc temporis erudititiſſimi, in his *Io. Victor*, praecipuae in Aula Valdeccia, cui Praeſidis & Cancellarii nomine prae erat, & dignitatis, & auctoritatis, qui in ſolenni adoleſcentum, de palma diſceptantium, certamine, *Schurtzfleiſchio* Patri gratulatus eſt, conuerſusque ad filium: *Pater tuus,*

ait, *niues spargit, meritisque uenerationem aetati addit*, *in te magnum* Boxhornium, Salmasiumque *destinat*, *& erudito Orbi pollicetur*. Nec aliter *Haxthusius*, qui Casselis Vice-Cancellarii, ut uocant, amplitudinem sustinebat, & *Antonius Hagenbuschius*, Gissensis Polyhistor aetatis suae eximius, post Antistes diuinorum in Valdeccia coetuum, iudicarunt, quorum uaticinia legas in perpolito Programmate funebri, Polyhistori Nostro, nomine Academiae Vitembergensis, posito à Cl. *I. G. Bergero*, successore diui *Schurzfleischii* longe dignissimo. Maiora uero indies eruditionis capiebat incrementa Noster, Gissae primum, sub ductu & auspiciis *Io. Conr. Dieterici, Feuerbornii, Menzeri, Taboris, Le Bleuii*, Vitembergae uero sub institutione *Abrah. Calouii, Io. Meisneri, Io. Andr. Quenstedii, Io. Deutschmanni, Aeg. Strauchii*, aliorumque, amplificabat. Quo fa&um est, ut in patriam, ad docendam in Lyceo patrio corbacensi iuuentutem, uocaretur, quas quidem partes breui tempore, & extra ordinem, uicariique nomine, sustinuit, prout ipsius Epistolae testantur: Quoniam uero iudices ac Censores non dabantur pares laborum eius, sponte sua scholae umbram ac puluerem reliquit, his una uerbis praesagiis haud expertibus parieti inscriptis, *Haec schola me non capit*. Non iniucundam tibi forsan, L. B. operam praestare uidebor, si causas abdicationis eius in medium protulero; cum praesertim altum ea de re apud

A-

Adolphum quendam *Clarmundum*, ſcriptorem ne dicam Vitarum, an deprauatorem, ſilentium ſit inuita Schurzfleiſchii noſtri, qui tamen ipſe cauſas ex Epiſtola quadam ad *Herm Conringium*, his refert uerbis: *Vix fungi eo munere inceperam, cum fatali quodam meo malo, incurri offenſam ſacerdotum, aegre ferentium, a me commendari ſcriptores, in parte religionis a noſtris diſſidentes, & laudari inprimis externos, eosque, mea opinione optimos atque ſelectiſſimos, in iis uero ſtudiis, quae humanitatis atque antiquitatis fines non egrederentur. Tum uero primum tempeſtas mihi incubuit, quam uix, Patrone, nec ſine animi dolore recordari poſſum, quod lubricae, nec dum maturae, aetate, in religionis deprauatae ſuſpicionem uocarunt, praeſertim iſte, cuius nomen conſulto non adſcribo, &c.* Sed alia inſuper abdicationis cauſa in promptu fuit, quae mihi narrata fuit, bona inquam fide, tecum Lector communicanda. *Schurzfleiſchius*, ad altiora natus, non in imis eruditionis radicibus uolebat haerere, maiora, uerum ad ſumma quaequae nitebatur, Philoſophiae igitur & Prudentiae ciuilis ſtudio ſeſe dabat, ex iisque diſciplinis publicas inſtituebat diſputationes. Comparebant multi homines, dignitate atque eruditione clari, diſſentiendi gratia & auſcultandi, quos inter Conſiliarius Saxo quidam, iuuenis admodum, qui ſermones cum Noſtro dicam, an rixas, incipiebat. *Schurzflei-*

fleischius, in genere eruditionis uario exercitatus longe optime, solidis semper argumentis Disceptationes Aulici destruebat, &, interueniente iuuenili ardore, probe illum exagitabat. Male id ferens homo ab aula, rem defert ad aulam, exinde silentium Nostro imponitur. *Schurzfleischius*, mandato huic parum aut nihil obtemperans, telam semel coeptā strenue pertexebat. Hinc in mandatis dabatur loci eius magistratui, *Schurzfleischium* ut, iniecta manu, ad reddendas obstinati animi rationes cogant. Quo noster cognito, fuga sibi consulere, optimum ratus, Lipsiam primum, deinde Vitembergam, suorum altricem studiorum, petebat. Ibi quid actum sit, accipe, aliud quippe memoria dignum Vitae *Schurfleischianae* momentum. Edebat sub ficto *Eubuli Theosdati Sarckmasii* nomine *Iudicia de Nouissimis Prudentiae Ciuilis Scriptoribus*, tanta quidem eruditione, tantoque sale referta, ut nihil supra. Sed, quae fata sunt illorum, qui censoriam, qnantumuis haud iniustam, exercere student uirgulam. *Amarus enim cibus est ueritas, quam paucissimi Capiunt, pauci cupiunt, plurimi oderunt.* Videbat sane statim se circumdatum fortissimo hostium agmine, qui edendis passim scriptis, maledicentia potius & aculeis, quam acumine & eloquentia, foecundis, dies noctesque insomnes illi reddebant, ut semper in armis excubandum Nostro esset. Horum uelut antesignani erant, *I. H. Boeclerus*, Cyr. *Lentulus* & *Phil. Andr. Olden-*

denburgerus. Sed imperterrito Noster animo, arma armis opponebat, *Initiis Vindiciarum* sub *Xauerii Parani* persona editis, in quibus non furor bellicus, sed heroica quaedam uirtus sese exerebat. Antea uero, quam *Initia Vindiciarum* daret pacis foedera inire uidebatur, composita, sub falso *Labronis a Verasio* nomine, *Satura Sarckmasiana, temperandae*, ut ipse ait, *aut, si mauis, mitigandae, quarundam acerbitati, comparata.* Qua tamen nil agebat. Nemo enim hostium arma deponebat, sed longe uehementioribus illum satyris petebant. Hinc memorata iam *Vindiciarum Initia* ipsi sunt extorsa. Interim Academiae Vitembergensis *necessitas, consulens honori Academiae, uidebatur imperare*, ut, ad sedandos impatientissimorum hominum animos, *Programma* tabulis affigeretur publicis, in eoque *iudicia de Nouissimis Prudentiae Ciuilis scriptoribus* nigro notarentur calculo, exemplaria item iudiciorum ex oculis emptoris remouerentur, ipse autem Sarckmasius e numero ciuium Academicorum excluderetur. Iste ergo infelix, intrepidus tamen, Sarckmasius, mandato superiorum uel tandem cessurus, relicta Vitemberga, in uicinia uitam, Lipsiae partim, partim Berolini alibique locorum, agebat. Neque sic tamen furor ille hostium erat sedatus, sed nouae quaedam *Boecleri*, quas strueret, insidiae ad aures *Sarckmasii* perferebantur, Tela itaque, ueluti prae occupaturus, Epistolam misit ad Boeclerum lectu

san-

ſane dignam, errorum demiſſe ueniam petens. At Boeclerus indigne hanc ferens Epiſtolam, Sarckmaſium in Senatu ſanctiori Dreſdenſi poſtulauit iniuriarum. Schurzfleiſchius tamen ita ſe purgauit, ut Boeclerus nihil poſt auderet. Tandem tractu temporis, res conſopiebatur, nullum ut deinceps ſcriptum eius generis aſpiceret lucem. Sarkmaſio poſt tot nubilia, ſerena tandem omnia reddi uidebantur. Commendatus enim is diligentius Saxoni, diuo *Io. Georgio. II.* ab *Henrico a Friſen*, & a *Io. Georgio Boernero*, Maecenatibus ſuis facile principibus, anno illius ſeculi primo &ſeptuageſimo, Philoſophiam &Hiſtoriam publice extra ordinem profitendi in illa ipſa, ex qua iuſſus erat exire, Academia, adeptus eſt munus, in quo tam praeclare ſe geſſit, ut magis indies magisque illuſtraretur. Saepe ergo Themiſtoclis illud, in ore habeat: *Perieram, niſi Periiſſem.* Haec fere praecipua ſunt uitae Sarckmaſianae capita, ex ore optimorum uirorum a me praecepta, neque temere, deficientibus praeſertim aliis documentis, in dubium uocanda. Praeterea ſcias uelim, L. B. me apud animum conſtituiſſe, integrum hoc Bellum literarium uſibus committere tuis, non ut laedam diuos *Schurzfleiſchii* manes, haud ignarus, ipſum *Schurzfleiſchium* poſtea quaedam in his improbaſſe, cuius etiam cineres uenerari non deſiſtam; ſed, ut ſcias, quid geſtum ea in re ſit ſuperiori ſeculo, atque ut conferre haec poſſis

cum

cum aeuo nostro, cuius eo iam peruasit in Regno literario dominandi libido, ut Herculi clauam, quam fasces his consulares, seu mauis dictatorios, procliuius sit extorquere. Quin & ad editionem Operis me impulit causa, quod constet, multos esse eruditorum, qui unam uix alteramue Actus huius literarii scenam possident, quibus difficile iudicatu, cuinam ex his palma sit deferenda. Neque illud me fugit, complures in ea esse opinione, Acta haec in unum uolumen iam esse redacta, & sub titulo; PICA PIERIS, A. CIↃ IↃC LXIX. edita. Sed fallunt, & falluntur. Conferas, quaeso, cum meis, & patebit toto haec ab istis coelo distare. Quid autem in his edendis praestiterim, ipsa te operis lectio docebit, B. L., qui praeter notas a me compositas χέλια quoque reperies *V. Cl. Christiani Gryphii*, quae is exemplari suo adiecerat, quaeque, addito nomine, a ceteris distinxi. Apparebunt ibi quoque Animaduersiones ipsiusmet Sarckmasii, in eius quondam exemplari repertae. Nolim etiam diffiteri, quasdam *CL. Autoris*, Collectionis Librorum Rariorum (quem *M Hieronymum Augustinum Groschuffium*, Lipsiae degentem, esse, praeter alios nobis *CL. Struuius*, in supplemento Introd. ad notit. R. L. aperuit) uiam monstrasse ulterius progrediendi, aliquoties etiam, sine tamen inuidiae nota, dissentiendi. Continuationem Iudiciorum a Sarckmasio coeptorum adieci, haud paullo, sicut res ipsa

loquetur, emendatiorem illa, quae in Collectione Librorum Rariorum occurit. Quam Magnif. *Jo. Bapt. Roeschelio*, Academiae Vitemb. Professore Physices Ordinario, & Theologiae extra ordinem, meritissimo, Directore Bibliothecae Publicae multo dexterrimo, Contubernale olim Sarckmasii longe amicissimo, Patrono & Praeceptore nunquam non uenerando, una cum Notis Sarcmasianis, supra laudatis, acceptam ferimus. Ordinem obseruaui naturalem, scriptaque sic dispofui, uti temporis ratio exigere uidebatur. Si qua uero errorum a me commissorum deprehenderis uestigia, horumque me conuiceris, ad παλινῳδίαν canendam promptum paratumque me semper habebis. Neque enim ex numero sum illorum, qui sua mordicus defendunt, sed ueritatis amans, principem ueritati locum ttibuere consueui. Ceterum si audiero, tibi meos labores haud ingratos accidisse, faxo propediem, ut alia Rei Literariæ monimenta, in tuum, L. B conspectum uenire possint. Vale interim feliciter, & prolixe his conatibus meis fave.

CONSPECTVS

SCRIPTORVM HIC CONTENTORVM.

X.

IVDICIA DE NOVISSIMIS

PRVDENTIAE CIVILIS SCRIPTORIBVS

EX

PARNASSO

CVM

EVBVLO THEOSDATO SARCKMASIO (*a*)

IN SECESSV

ALBIPOLITANO,

INGENVE COMMVNICATA

VELLEIVS, II, XXXVI, 3.

VIRORVM VT MAGNA ADMIRATIO, ITA CENSVRA DIFFICILIS EST,

MARTISMONTE

EXCVDEBAT SATYRVS STEPABHIVS, (*b*)

ANNO CIↃ IↃC LXIX.

Si

a) Si Graecum hoc nomen ciuitate Romana donemus, perſonam hanc deponet; ſub ea latens, aeternum Vitembergenſe decus, *Conradus Samuel Schurtzfleiſchius*, quem, ſibi ereptum Apollinem, nunquam ſatis deplorare poterit unquam Parnaſſus. Haec ipſa uero Iudicia in Diſſ. de Induciis, §. ult. in notis minari uidetur; Cuius uerba, a *Friderico Geislero*, cui hanc fere obſeruationem debemus, omiſſa, ſubiungere libet: *Inepte diuinum hunc ordinem, & ſuauiſſimam harmoniam ſuggillat perſonatus* Monzambano, *de Statu Imp. Germ. cap. 6. §. 9. cuius iudicandi parum ſaepe religioſa licentia alibi accuratius caſtigabitur.*

b) Is eſt *Pabſtius*, Bibliopola quondam Frf. ad & V. Vitember-

ber-

SI uel ulla aemulatione inuidiae, uel cupidine ambitionis, uel suspicione odii, hoc ingrederer institutum; haud dubitarem, quin reprehensionem Parnassi, & omnium Musarum, incurrerem. Nunc cum ipse Sanctioris huius Consilii Praeses meum, sinceri sui admiratoris, animum plus satis habeat perspectum, eas mihi partes imposuit, quas sapientissimus quisque, opinor, declinaret. Sed, cum, eius causa quicquam defugere, religio, qua illi teneor, prohiberet; censui, mihi ad conscientiam satisfore, obsequium & amorem parendi. Liuorem alioquin odi, & iniuriam detestor, nec facio cum illis, quibus, ut non nemo (c) ait, *insita natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere.* Interea hanc, quam molior, censuram Principi Censorii Tribunalis, & supremo pariter Sapientiae Satyricae Arbitro, Apollini, sacram esse uolo.

I. H. CONRINGIVS. (*d*)

IS merito Summus rerum Germanicarum doctor (*e*) audit, quippe cui id communis nostra patria haud dubie acceptum feret, quod non de facie modo, sed etiam de animo, & multo exquisitius atque antehac, no-

bergensis, cuius opera & impensis hoc scriptum prelo est subiectum.

c) Tacitus Histor. II. 20. *d*) V. Annot. *Sarckmasii* num. XI.

e) Vid. *Pacificus a Lapide*, qui est *Philippus Andreas Oldenburgerus*, Disc. ad Monzambanum I, §. 7. p. m. 41, 42.

noscere se ipsam coeperit. Multa equidem, fateor, *Limnaeo* debemus, sed plura, nisi fallor, Conringio, diligentissimo, ut ceterorum, ita praecipue *Limnaei*, Censori. Nam hic & nimis saepe liberaliter multa ex aliis colligit, & tabulas publicas subinde allegat, nulla fide, nullo assensu, nullo calculo, dignas. Nec pauca, ut molliter dicam, in ipsa *Carpzouii* Lege Regia (*f*) desiderare oculatissimum uirum accepi. Sed neque una uice *M. Goldasti*, Prytaneo (*g*) dum uiueret, digni, in recensendis sanctionibus publicis credulitatem accusat, & ita accusat, ut causam non finxerit, sed inuenerit. Verum hic legem mihi ponit Pallas, &, ut manes optimorum uirorum quiescere sinam uel ipso Conringio internuntio, me iubet. Vnum addam, quod de aeui nostri Papyrio summus Polyhistor Argentinensis, *Boeclerus*, identidem satis confidenter affirmat, eum, si ciuili tantum prudentiae se consecrasset, plane sine exemplo futurum fuisse. Inter cetera ingenii argumenta, luculentissima de Origine Iuris Germanici, & de Finibus Imperii Opera toties miror quoties lego; *Tabori*, (*h*) qui litem ipsi inutilem mouit, & magno, si diis placet, eius uindici ad Lanum, *Malcomesio*, meliorem o-

f) Vid. Diff *de Germ. Imp. Ciuib.* §. 40.

g) Conf. *Notae Sarckmasianae*. num. IX.

h) *Qui* in Commentario de Metatis & Epidemeticis impugnauit Praefationem *Conringii*, quam ille *Cornelii Taciti* de Germanorum moribus libro praemiserat, in quo de *Iustinianei Iuris Publici in Germaniae Republica autoritate* disseruit. Sed defendit se *Conringius* in altera editione libri *de Origine Juris Germanici*, Helmstadi 1649. recusa. Conf. *Augustus Floridus* de *Montalbano* in Colloquio.

SI uel ulla aemulatione inuidiae, uel cupidine ambitionis, uel suspicione odii, hoc ingrederer institutum; haud dubitarem, quin reprehensionem Parnassi, & omnium Musarum, incurrerem. Nunc cum ipse Sanctioris huius Consilii Praeses meum, sinceri sui admiratoris, animum plus satis habeat perspectum, eas mihi partes imposuit, quas sapientissimus quisque, opinor, declinaret. Sed, cum, eius causa quicquam defugere, religio, qua illi teneor, prohiberet; censui, mihi ad conscientiam satisfore, obsequium & amorem parendi. Liuorem alioquin odi, & iniuriam detestor, nec facio cum illis, quibus, ut non nemo (*c*) ait, *insita natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere.* Interea hanc, quam molior, censuram Principi Censorii Tribunalis, & supremo pariter Sapientiae Satyricae Arbitro, Apollini, sacram esse uolo.

I. H. CONRINGIVS. (*d*)

IS merito Summus rerum Germanicarum doctor (*e*) audit, quippe cui id communis nostra patria haud dubie acceptum feret, quod non de facie modo, sed etiam de animo, & multo exquisitius atque antehac, no-

bergensis, cuius opera & impensis hoc scriptum prelo est subiectum.

c) Tacitus Histor. II. 20. d) V. Annot. *Sarckmasii* num. XI.

e) Vid. *Pacificus a Lapide*, qui est *Philippus Andreas Oldenburgerus*, Disc. ad Monzambanum I, §. 7. p. m. 41, 42.

noscere se ipsam coeperit. Multa equidem, fateor, *Limnaeo* debemus, sed plura, nisi fallor, Conringio, diligentissimo, ut ceterorum, ita praecipue *Limnaei*, Censori. Nam hic & nimis saepe liberaliter multa ex aliis colligit, & tabulas publicas subinde allegat, nulla fide, nullo assensu, nullo calculo, dignas. Nec pauca, ut molliter dicam, in ipsa *Carpzouii* Lege Regia (*f*) desiderare oculatissimum uirum accepi. Sed neque una uice *M. Goldasti*, Prytaneo (*g*) dum uiueret, digni, in recensendis sanctionibus publicis credulitatem accusat, & ita accusat, ut causam non finxerit, sed inuenerit. Verum hic legem mihi posuit Pallas, &, ut manes optimorum uirorum quiescere sinam uel ipso Conringio internuntio, me iubet. Vnum addam, quod de aeui nostri Papyrio summus Polyhistor Argentinensis, *Boeclerus*, identidem satis confidenter affirmat, eum, si ciuili tantum prudentiae se consecrasset, plane sine exemplo futurum fuisse. Inter cetera ingenii argumenta, lucuentissima de Origine Iuris Germanici, & de Finibus Imperii Opera toties miror quoties lego, *Tabori*, (*h*) qui litem ipsi inutilem mouit, & magno, si diis placet, eius uindici ad Lanum, *Malcomesio*, meliorem o-

f) Vid. Diss. *de Germ. Imp. Ciuib.* §. 40.

g) Conf. *Notae Sarckmasianae.* num. IX.

h) *Qui* in Commentario de Metatis & Epidemeticis impugnauit Praefationem *Conringii*, quam ille *Cornelii Taciti* de Germanorum moribus libro praemiserat, in quo de *Iustinianei Iuris Publici in Germaniae Republica autoritate* disseruit. Sed defendit se *Conringius* in altera editione libri *de Origine Iuris Germanici*, Helmstadi 1649. recusa. Conf. *Augustus Floridus* de *Montalbano* in Colloquio.

mnino mentem precor. Huc enim lucis iam tum noſtro ſeculo uentum eſt, ut doctos merito ſuppudeat ueterum illiusmodi naeniarum, &, ſi recte iudico, ad loquaces mulierculas pertinentium, aut certe exquiſitiori animo indignarum maxime. Dum quæ has taedet referre in praeſens, optandum erat, ut per otium liceret de praeclariſſimis Noſtratis Politici Diſſertationibus aliquid commentari. Sed hoc conanti, pauloque liberius cenſentit, ſuperueniebat Apollo, & iam illi πολυπραγμοσύνην (*i*); iam iuſto, uehementiorem animi, cum erga *Waſmuthium* (*k*). tum erga alios, ut cauſabatu, innocentes, impetum, ſolito audacius exprobrabat. Sed, ut mitiori ingenio eſt Mercurius, ita caduceo ornatus, in mediumprodibat, iudicium paulo mollius in ſancta illa Corona interpoſiturus. Nimirum, hæc atque talia non eſſe tanti, affirmabat, ut propterea ſummam in rebus ciuilibus partam famam ſuggillare

i) Scilicet, ut ait Pomponius, *Culpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti*, l. 36. ff. de R. I.

k) Notum eſt illud *Conringium* inter & *Math. Waſmuthium*, Controuerſiae genus. Conringius enim contendebat, non adeo neceſſariam eſſe cognitionem Hebreae linguae, ne his quidem, qui uulgo Oracula diuina ſolent interpretari: Cui ſententiae ſe Waſmuthius adeo fortiter opponebat, ut *Conringius* Actionem iniuriarum, coram Illuſtri Tribunali Gottorpino, in illum inſtituere non dubitaret. Sed *Waſmuthius*, tametſi alioquin *Conringio* inferior, ex iſto tamen Hebraico certamine ſuperior diſceſſit, *Traiano* quidem iudice *Boccalino*, qui Celeberrimus *Io. Alb. Fabricius* uulgo creditur eſſe, *in Iudicio ex Parnaſſo, de Triga Scriptorum recentium, Coſmopoli 1689.* 4. euulgato.

lare cuiquam integrum ſit. Quin mihi & omnibus, qui, pace Apollinis, ſanctiori Conſilio aderant, id firmiſſimis approbare rationibus ſatagebat. Scilicet alia Theologo, alia Politico, mens eſt. Illi ardor, huic moderatio, utramque paginam facit. Nam, ut hodie mores ſunt, plures utile, quam honeſtum, quaeſtuoſa, quam ſacra, ſpectant, cum certe non deberent ſpectare. Verum enim uero, nefas eſt, omnia, quae ſentiam, loqui. Amarus cibus eſt ueritas, quam pauciſſimi capiunt, pauci capiunt, plurimi oderunt.

II. I. H. BOECLERVS.

Hunc & eloquentiae, & cultioris omnis ſcientiae, delicium non immerito dixerim. Iudicium rerum ciuilium in Muſeo haud obſcuris teſtatus indiciis eſt. Plus uni *Grotio* (*l*) quam omnibus *Salmaſiis*, plus uni *Forſtnero* (*m*) quam omnibus *Gruteris Lipſiisque* uindicat. Nec ſine cauſa. Plurimum enim refert, Literatorem a Prudente, Criticum a Politico, diſcerni. Ille diſcit, ſcholae, hic uitae: Ille docet umbrae, hic aulae: ille apicibus omnia metitur, hic neruis. In quod hominum genus nolo iam inuehi, ut qui tineis & blattis ſua conſumenda ſcribant, non utenda publico bono. Dum uero Boeclerus hoc ſibi in alios iudicium ſumit, ego id mihi, in ipſum: ut non erubeſcam dicere, eius in Tacitum Curas plus compoſitae Orationis, quam ſpiritus, habere. *Forſtnero* ſe ipſum

l) Videatur *Boecleri* Muſeum, p. m. 38.

m) Vid. Idem, p. 70.

ipsum, fatetur, inferiorem, dum omnibus praefert *Forstnerum*, quippe qui cum scientia experientiam, cum experientia agendi dexteritatem, habuit coniunctam. Haec Minerua mihi dixit in aurem, & scribere imperauit. Cui eo libentius obsequor, quod eam in consessu publico omnes perspicaciorem, nescio, an ueri amantiorem, Deam uenerarentur. Sed esto, inquit Mercurius. Scribat saepe in rebus morum frigide, definiat Controuersias Juris Naturalis & Gentium perplexe, decidat dubitanter. Nemo tamen eo uel tersius (*n*) loquitur, uel elegantius sua percenset. Prouoco, pergit, ad Historiam Caroli M. (*o*) & sequiorum temporum, in tantum laudandam, in quantum & nitor Styli, & divina uis iudicii, intelligi possunt. Dabo haec omnia cum Palladis interprete, Habebo pro certo, rerum civilium, historiarumque omnium, scientissimum

n) Dissentit a Sarckmasii Iudicio Epistola Anonymi, *Xauerii Parani* Vindiciis adiecta: *Nam, quod pace Sarckmasii dixerim, quaedam alia iusto liberius illi sunt tributa. Nam stilus ascitus, durus, asper, Oratio tumida, uehemens, inaequalis: Antiquitatis Germanicae notitia exigua, tenuis, uulgaris. In Boecleri Commentationibus farrago potius quam ordo apparet. Loquentia multum, sapientiae parum. Adeo hiant ibi omnia & arent. Compilatio historiarum forte historicum qualemcunque probat; non morum doctorem. Iam pueris subolet, qualis palma maneat Boeclerum. Ferri hoc utcunque poterat, si Iuris Publici latices paulo melius imbibisset.* Nostri tamen praeferendum, puto, iudicium.

o) Procul dubio hic spectat Historiam Caroli M. ex praecipuis aeui Carolini Scriptoribus a Io. Ioach. Franzio concinnatam, & cum Boecleri doctissima Praefatione excusam Arg. 1644. 4.

ſimum eſſe Boeclerum. Iis tamen nunquam potero adduci, ut credam, eum *Forſtnerianam* menſuram impleuiſſe. Eloquentia & lectione maiorem eſſe, facile largiar; at, prudentia longe illi poſthabendum, non affirmabo ſolum, ſed etiam propugnabo. Retulerunt mihi quoque familiares ipſius, magis ex Commentariis, quam ex ingenio ſapere; præſentia quoque laudes, & famam, longo tempore collectam, plus ſemel minuiſſe, tum & negotiis publicis ſe immiſcuiſſe, in quibus uel parum fuerit uerſatus, uel ſtudio partium omnia ſcripſerit. Jus etiam homines proprios (*p*) faciendi adeo male defen-

p) Wildfangiatus alioquin dicitur. Conf. *Boecleri* Vindiciae Vindicatae. Hoc autem, homines proprios faciendi ius penes Principem EL. eſſe Palatinum, nemini ex Iuris Publici Scriptoribus ignotum erit. Ius tamen idem, quantumuis *a Diuo Maximiliano* confirmatum, dubium ei reddere uolebat Princeps EL. Moguntinus. Quapropter *Boeclerum* precibus & pollicitationibus eo adegit, ut in gratiam Moguntini, Iura Palatini, Anno 1666. ſcriptis non unis, iisque admodum acerbis, inuaderet & impugnaret. Vnde & tam male apud *Proteſtantium* Principes & Doctores audire coepit Boeclerus, ut agmine quaſi facto, erudiſſimi Cauſae Palatinae Vindices, Boeckelmannus, Pufendorfius, Lindemannus, alii, in eum irruerent, mirisque modis caſtigarent. Peſſime enim officio ſuo defunctum eſſe, plerique omnes exiſtimant, quem, ex Principiis Iuris Naturae Wildfangiatus cauſam oppugnare conatum, ex iure quidem ipſo meminiſſe oportebat, talia ſeruitutum genera præter ipſa eſſe iure naturae inducta, eademque ex Principiis Iuris plane extraordinariis manare. Contra *Boecleri* uero conatus prodierunt, *Prodromus Iuſtitiae Palatinae*, & *Epiſtola ad amicum, in eadem cauſa*, autore *Sam. Pufendorfio*. *Cauſa Iuſtitiae Palatinae* in f. ſine die & conſule, & *Vindiciae Pala-*

tinae

defendiſſe, ut jam, quamquam ſero, mallet, ſe ea defenſione abſtinuiſſe, quippe qua & Politicorum, & repurgatae religioni addictorum, offenſam conflauit longe maximam. Sed facta non poſſunt reddi infecta. In poſterum, ſpero, cautiorem futurum, & aliis aliena relicturum. Nil hic dicam de Certaminibus, quæ cum *Iure Conſultis Argentinenſibus* uelut alter Hercules, conſeruit. Nam, ea, tantum abeſt, ut improbem, ut quoque commendem ſuſceptas pro ſalute cultioris literaturae dimicationes. Ad poſtremum eius in *H. Grotium* (*q*) aeſtimanda animaduerſio eſt. Tametſi uero nolim

tino Wildfangiatu pridem oppoſitae, demum aſſertae & uindicatae, Boekelmanno autore. Pax in Imperio turbata &c. *Offa latranti, offa poſt offam*, Paris. 1667. & *Fuſtis*, autore *Lindemanno*, quae Scripta Boecleri ſententiam impugnant. V. *Chriſtianus Gryphius*, doctor olim noſter, in Diſſert. de Scriptorib. Hiſt. Sec. XVII. illuſtr. p. 145. *Jo. Scheferus* in Suecia literata, p. 222. & *Vinc. Placcius* in Theatro Anonymorum paſſim. Heilbronnae tandem res per arbitros deciſa eſt, ita, ut Palatinus ſuo quidem etiam in poſterum Priuilegio, certa tamen lege, uteretur. Vid *Acta Compromiſſi, in Cauſa Iuris Wildfangiatus* &c. A. 1667. in f edita.

q) Commentationem, puta, in *H. Grotii* de Iure Belli & Pacis libros, Arg. 1663. 1664. & ſeqq. editam, quae laudem mereretur maximam, quoniam ex ipſis rerum argumentis Sententia *Grotii* exponitur, ſi modo pari ſtudio coeptum abſoluiſſet opus. Sed ſubſtitit in C. VII. Libri 2. ulterius, ob ignorata forſan Iurisprudentiae Ciuilis Principia, progredi non auſus. Quapropter longe praeferendae ſunt *Dom. Ziegleri*, in eundem *Grotium*, Notae, breues quidem illae, uerum ſelectae, ac uel eo nomine laudandae, quo errores in doctrina diuiniore ab *Grotio* commiſſos diligentiſſime caſtigant. Vid. D. *Jo. Groeningius* in Bibl. iur. Gent. L. III. c. V. §. 19. p. 232.

lim inficias ire, ipſum ſtudio antiquitatis nemini concedere, & uel præſtantiſſimo cuique in hac arena palmam dubiam facere; tamen, ſi ab elegantia ſtyli & peritia hiſtoriarum, præſertim Romanarum, diſceſſero, haud fortaſſe diſſimulauerim, multos æquales, plures etiam ſuperiores habere. Certe *D. Caſpar Ziglerus*, de ſanctiore Prouocationum Conſilio, quod Dreſdae eſt, & de Vitembergenſi Academia, ſupra, quam dici poteſt meritus, cum neruoſa ſcribendi breuitate, tum inſigni & prope admirabili diuinarum humanarumque rerum notitia, *Omnes in Grotium Annotatores*, & ipſum, ſi libere loqui placeat, *Boeclerum*, facile antecellit. Nolim tamen ingratus eſſe erga Virum, fama meritisque Clariſſimum, & in ſeculi, ac ipſius germaniae gloriam, natum. Qui, ut maiorem laudandi, quam reprehendendi, materiam praebet, ita documento poſteris erit, ſummos quoque Viros, nil humani a ſe, alienum, putare debere. Satis de *Boeclero*, cuius irritare patientiam, audacis, laudes minuere, ingrati, poterat uideri. Jam Cura alio uertenda eſt.

III. SEVERINVS DE MONZAMBANO.

Sub nomine ad Italorum linguam compoſito latere uoluit, ut & ingenioſius tegeret germanum, & liberiores Italorum in iudicando mores tutiori exprimeret conatu. Nitide omnia deſcripſit & ſuccincte. Mouet in eo diſerta prudentia ſuos lacertos, & dignum aliquid hac literarum luce promit. Formulas illas ex Schola non quidem neſciuit, ſed prudenter neglexit. Hoc enim & maſcula ueterum ſapientia exigit, & laudi horum temporum ex aſſe

conuenit. Caſtigauit eum *Schookius*, ſed dignus, qui uiciſſim caſtigetur. Fortaſſe tamen eum infirmitas ingenii, quam morbus, dum in Monzambanum commentaretur, attulit, doctioribus excuſabit. *Scriptor Eleutheropolitanus* impolitus & informis, &, propter ariditatem, taedioſus eſt lectu, nec cum illo unquam in comparationem gloriae referendus, quandoquidem parum aut nihil in hoc deprehendo, quin ſcholam oleat & lacunas. Adeo omnia a natiuo prudentiae cultu abeunt, ut nil ibi uideam, nil legam, niſi fractum & elumbe, aut ſaltem aſcitum atque peregrinum. Proximus illi Pacificus a Lapide (r) eſt, multis notatus, paucis intellectus. Miror, utrumque a multis carpi, & fideliter tamen a carpentibus deſcribi. Nempe id hodie ſolenne eſt, ut ſcri-

r) Is eſt *Phil. Andreas Oldenburgerus*, qui ſtricturas in *Seuerinum* de Monzambano edidit. Sarckmaſium uero hic *Pacificum a Lapide*. cum *Hyppolyto a Lapide*, de cuius uero nomine uariae, annotante *Placcio*, circumferuntur opiniones, confundere, nonnullos obſeruaſſe ſcribit *Cl. autor* Collectionis Librorum rariorum, P. II. p. 227. Quorum ſententiis meam addo; quicquid etiam in contrarium afferat partem *Xauerius Paranus* in *Initiis Vindiciar.* Conf. *Sarckmaſii* Notas. Praeter *Schookium* autem & *Pacificum a Lapide*, complures etiam alios habuit aduerſarios, de quibus vberiorem haurire poteris cognitionem ex *Culpiſii* Diſſertatione, de Studio Iuris Publici recte inſtituendo, & de Scriptoribus eo pertinentibus p. m. editionis Vitemberg. 1708. 4. mendoſiſſime recuſae, 18 ſqq. atque ex *eiusdem* erudita ad *Monzambanum* Commentatione excuſa Stutgard. 1687. in 4. Addatur *Anonymi* Praefatio, Germano praemiſſa *Monzambano*; Qui haud dubie *Culpiſio* ſua debet.

ſcriptor ſcriptori tenacius inſiſtat, &, dum ipſe non habet, unde ſe ornet, aliis plumis ueniat ornatus, ueritati & omnibus bonis fucum facturus. Sed hoc alio pertinet. Iam, quid in Monzambano quoque deſiderem, eſt promendum. Sane uel ſtupidiſſimus colliget, ſi non omnia, tamen potiſſima ejus & quae praecipuam laudem mereantur, *ex fontibus Conringianis* (*s*) deriuata, & in eius areolas, alioqui ſteriles futuras maxime recepta eſſe. Saepe etiam ſibi non ſatis conſtat, & ſine iudicio quosdam culpat, quosdam celebrat prout ſuo in quemque trahi-

s) Non uidetur ipſe hoc negare *Conringius*, vti quidem *Cl. Autor* Collectionis Librorum Rariorum l. c. p. 227. neſcio, quanam adductus ratione, perſuadere nobis cupit. Locus enim, quem ex *Conringianis*, a *Chriſt. Henr. Ritmeiero*, Helmſt. 1708. 12. euulgatis, hanc in ſententiam profert, non de *Monzambano*, ſed de nouo *quodam* Monzambani *Critico* agit. Atque en ipſa Conringii, quae p. 131. extant uerba: *Nouum illum* Monzambani *Criticum* haud uidi qui (ſc. Criticus iſte nouus) *ex meis potuerit ſua promere, neſcio: cum utique a* Monzambano *rariſſime diſſentiam, ſitque libellus ille, me quidem iudice, aureolus & hactenus ſine exemplo. Nunquam illum inſpicio ſine ſingulari aliqua noua delectatione. Eoque doleo mores peruerſos ſeculi, ex praeclari cuiusque hominis inſectatione ſibi famam aucupandi.* Qui locus ſi cui forte obſcurior uideatur, dilucidiorem ex iisdem *Conringianis*, p. 121. alium depromere licebit: *Fama fert, ac ſi tractatum* de Statu Imperii Romano Germanici, *qui Geneuae uel Amſterodami ſub nomine* Suerini de Monzambano *nuper impreſſus eſt, ſcripſerim. In quo mihi tamen fit iniuria Quamuis autor magnam partem ſua ex meis libris hinc inde deſumſerit.* Et, quod princeps eſt argumentorum, ipſe *Monzambanus* in Praf. fatetur ingenue multum ſeſe *Conringio* debere.

hitur amore. In *Palatinos* & *Suecos* non obſcura ejus ſunt ſtudia. Parum ſaepe aequum in *Auſtriacos*, & mordax ſimul, deprehenditur. *Saxones* cur minus laudauerit, nulla fuit cauſa. Immo, iis exprobrat, quae non aſſequitur, reprehendit, quorum abſtruſas aut non uoluit, aut non potuit, intelligere rationes. Sane illam de Forma Imperii Controverſiam non minus infeliciter excitauit, quam ieiune decidit. Hic temerarii Conſilii fructus, hic præcipitati Judicii exitus eſt. Fortaſſe hunc Nicri calorem frigidus ſeptentrio (*t*) in poſterum temperabit. Interim ſuam Monzambano noſtro laudem minime inuidebo quippe qui tam polite ſcripſit, quam pulchre ſubinde iudicauit, Palmam nouitiorum plurimis praerepturus, ſi a deſcribenda ſatyra abſtinuiſſet.

IV. PHIL. ANDR. BURGOLDENSIS (*u*)

Exemplum hominis ultra ſortem audacis, & non modo nimis libere, ſed etiam ſaepiſſime minus recte, de rebus Imperii iudicantis, neſcio, magis intempeſtiuam ſcribondi libertatem, an dictatoriam quandam

t) Tangit hic *Monzambani* iter, quod ex Academia Heidelbergenſi, in qua Primus Profeſſoris Iuris Nat. munus & ſalarium acceperat, in ſueciam parabat, ad obeundam ibi, in Academia Carolina recens tum inſtituta, prouinciam publici doctoris.

u) Eo ſub nomine latere uoluit *Phil. Andreas Oldenburgerus*, qui pacis Weſtphalicae ſ. Monaſterieuſis tabulas ſub ſpecioſo Rerum Illuſtrium Imperii titulo, & ficto tum *Burgoldenſis*, tum *Waremundi a Friedeberg*, ac demum *Franciſci Irenici*, nomine ornauit an onerauit. Vid. *Gryphius* noſter. l. c. p. 46.

dam animadverſionem, prodere poſteris uoluerit. Mirum dictu, quam expilet omnia, & compilet, carpat & decerpat. Si quid boni, ſi quid nitidi habet, non ſibi, ſed aliis refert acceptum. Duces, *Limnaeum*, *Conringium*, Monzambanum, *G. Hornium* & innumeros prope alios, ipſe fidelis ſequitur comes. Tum uero Autorum, quos exſcribit, iudicium non ſemper capit. Nec ſtylus gaudet ſua forma, & res ipſæ ſæpe, ab eo ſine delectu & cura congeſtae, limam omnino accuratiorem deſiderant. Amplius obſeruo, eum Origines Juris Germanici ex riuulis magis, quam ex fontibus, deduxiſſe. Reddere, ut fama accepi, nobis conatur alterum *Forſtnerum*. Sed forte conatur. Sunt, qui cenſeant ſummum in Aula Wirtembergica gradum affectare. Alii, omnem terram, quæ ipſum amplexa fuerit, patriam fore, perhibent. Forte tamen *Puffendorffio*, Holmiam nuper accito, mauult ſuccedere. Nam de ambitu ejus longe lateque percrebuit fama. Niſi plura tam male cohaererent, dicerem, ipſummet *Conringium*, ſeu ore, ſiue manu, eum excoluiſſe. Affert enim quaedam obſervatu digna, & a ſanctioribus Imperii Teutonici arcanis non multum aliena. Nec tamen omnem ipſi laudem detraxerim, quam illi uel curioſitas, uel peregrinatio, uel literarum cum grauioribus adminiſtris commercia uel ſermones cum aulicis, familiares, pepererunt. Antiquitatis Germanicae ſcientiam paene omnem *Conringio* debet, & partem ejus *Boeclero*, uiris in non huius Seculi, ſed omnis quoque aeui gloriam, genitis. Laborem, quem in ſanctione Weſtphalica collocavit, non poſſum,

niſi

nisi inuidus improbare. Nam, ut multa sint, quae ibi desiderem, tamen omnia simpliciter damnare, non, nisi insipientis, foret. Ordini, quem exhibet, egregie insistit, rerumque cum ad salutem, tum ad fundamentum Imperii pertinentium causas praeclarissime aperit, explicat, illustrat. Libere loquitur, liberaliter iudicat, & ficto nomine inuidiam (x) uitat, ratus, (y) periculosum esse, omnia arguere ex propinquo. Saepe tamen allegandis ex triuio, & tam a sanctitate huius instituti, quam ipsius dignitate argumenti, alienioribus insudat, quae si praecidisset, & rectius, & sapientius, meo iudicio fecisset. Scilicet non semper spernendi sunt centones, cum melior uestis non est in promtu.

V. CYRIACUS LENTULUS.

Acri, ut mihi uidetur, judicio pollet, nec quicquam deest ad Orationis cultum. Plura fortasse legit, quam alius quispiam. *Forstnerus* tamen & experiendo felicior, & accommodandis exemplis longe ipso superior, fuit. *Berneggerum* cur illi posthabeam, multae mihi causae suppetunt. Nam, ut noster plus salis, ita ille plus centonum habet, & perrogatis Parnassi sententiis, meretur, ut, propter iniquam Pacis Pragensis Censuram (z) rerumque Im-

x) Credunt non nulli, *Oldenburgerum*, non solum ob euitationem inuidiae, sed ob fastum animi, quo melius ipse scriptis suis uti posset ac superbire, tam crebro nomen & personam mutasse.

y) Tac. IV. Annal.

z) Obseruatum esse ab non nullis, *Berneggerum* iniquam Pa-

Imperii imperitiam, cum *Iusto Asterio* (a) deridea- tur. Cæterum *Conringio* in rebus ciuilibus, *Boeclero* in HistoriaRomana, Lentulus noster proximo statuendus loco est. Parum etiam, censeo, abesse, quin in plurimis ad *Amirati* acrimoniam felicius ceteris accedat. In Tacitum dum commentatur, & minus ascita dictione utitur, & diffusius disserit, & conuenientissime iudicat. Verum ad lucem iuris Germanici, quod Publicum dicimus, eius acies non minus hebescit, quam *Schooki* ad aspectum *Monzambani*. Eius de iure Belli ac Pacis Opus infra magnitudinem *Grotiani* iudicii est. Stylum pulchra subinde imitatione expressit, saepe tamen aliquid ex sordibus asciti sermonis aspergit, & linguarum non semper ingenium satis recte discernit. In qua parte cum Præceptore *Boxhornio* (b) paria non facit. Api-

Pacis Pragensis Censuram scripsisse uel edidisse nunquam, atque adeo fallere & falli Sarckmasium, *Cl. Autor* Conlectionis Libror. Rarior. l. c. p. 231. opinatur. Cuius tamen sententiae non omni ex parte subscribo. Quod iniqua *Berneggeri* Pacis Pragensis Censura nunquam lucem aspexerit publicam, facile *illi Nasturtioque* concedo, quod autem nunquam illam *Berneggerus* scripserit, constanter nego. *Sarckmasio* Exemplum tale manu exaratum *a Viro quodam magno* traditum fuit. Vid. *Xaueris Parani* Initia Vindicarum.

a) Ut vulgo creditur *Iustus Asterius* non est alius, quam *. Grotius* sed nos a uulgi opinione discedere iubet rotius ipse in Epistolis, ubi autorem scripti huius facit tendam *Io. Stellam*, Bipontinum, Gallorum stipendiis ingatum. Vid. *Placcius* l. c. N. 271. p. 282. sq. Exilt iptum hoc Paris. 1636. in Batauis ad exemplar Parisien. ecusum.

) Conferantur ea, quae *Cyriaci Lentuli* Vindex, in Ὑπερασ-

Apicem Gloriae Romanae, quem ſic inſcripſit, uix dixerim, gloriae literariae faſtigio conuenire. Pleraque euim tumultuarie compilata, quaedam confuſe inſerta, alia aliis laborant modis, Induſtriam tamen non reprehendo. In Ordine uero & cura multum deſidero. Tum & quaedam in hoc opere ueluti primoribus labris attingit, nec ex inſtituto, ut par fuerat, perſequitur. Adhibet etiam ſubinde uocabula praeter morem latinorum. Hiſtoricos excerpſiſſe, ſi obtendas; monuiſſe, in rem fuerit, in hac parte laudis uinci a *Lamberto Danaeo*, feliciſſimo illo compilatore. Quae ex iure Ciuili, & Oratoribus collegit, gloriae *D. Godofredi* nulla ex parte reſpondent, nedum, ut aequari debeant. *Cuius* in Senecam ſcholae (uulgus Locos communes uocat) immune quantum poſt ſe relinquunt curas Lentul anas. In ſtudio compilandi (*c*) Poetas, *Neubuſio*, & multis ueterum faſces ſubmittit. Quæ ad ius Pontificium annotauit, ne comparanda quidem ſunt cum iis, quae meditatus eſt Ziglerus (*d*) ſummum

ρασπισμῷ pro ſcriptis *Cyriaci Lentuli*, contrariam in partem affert.

c) i. e. *colligendi preſſim & condendi in unum*, ut *Xanerius Pararus* in Initiis Vindiciarum, §. 2. ex Feſto interpretatur. Hinc enim aduerſarii eius colligebant, Lentulum furti accuſatum eſſe a Sarckmaſſo, cum ueram germanamque huius uerbi ſignificationem aut non caperent, aut capere potius nollent. Vid. Ὑπερασπισμὸς *pro ſcriptis Cyriaci Lentuli*.

d) Immortale profecto, ob exquiſitam Iuris Canonici doctrinam, nomen eſt *eius*. Varia in hoc ſtudiorum genere

mum Witembergae decus. In censura Patrum uix primas lineas duxit, *Labbaeo, Thalaeo* (e) *Gronouio, Hornio*, iure meritoque postferendus. Sed, ea cura, ut a Politici officio quodammodo abhorret, ita, ex lege prudentiae, eam a se alieniorem, censere debuisset. Habent Politici, quod agant; Theologis sua relinquant, & existimationi in posterum melius, atque hactenus factum est, consulant. Verum, haec iam exequi, mihi non est destinatum, Laude interim sua nequicquam fraudauerim Principem eius absolutum, Aulamque Tiberianam, & alia Meditamenta Ciuilis Prudentiae. Quanquam nec, eius esse dignitatis, facile dixerim, ut quenquam in sui admirationem conuertant.

VI. SAM. RACHELIUS.

Facile de huius ingenio cognoscet, qui commentarium in officia Ciceronis nuper editum paulo intentius lustrabit. In quo ad nauseam paene laudat *Boeclerum*, non, quod hunc non censeam dignum laude, sed, quia tam amplum Iuris Gentium ambitum in arctum unius cerebrum cogere, & auctoritate potius, quam ratione, niti mihi uelle uidetur. Sique libere, quod sentiam, aperire instituerem, sine inuidia dicerem, maiorem esse titulo, quam effectu, & ma-

re edidit, ex quibus tamen locum facile principem merentur eruditissimae *illius* in *Lancellottum* Animadversionesqu, ibus nuper Magnif. *D. Jo. Henr. Bergerus*, explanator D. *Zigleri* multo dignissimus dexterrimusque, Annotationes, singulari prorsus eruditione refertas, addere non est grauatus.

e) Vid. quae Sarckmasius habet in Notis num. XV.

magis uerbosum, quam solidum. Magnum sane Doctoris Iuris Naturalis & Gentium insigne est, dummodo huic paria specimina edantur. Sed non, omnes, qui thyrsum gerunt, sunt Bacchi, nec sola laurus poëtam, nec barba Philosophum, neque titulus prudentiae facit consultum. Eloquentiam, si quaedam ascita exceperis, non simpliciter improbauerim: licet eloquentiam magis saepe commendet, quam exerceat. In iudicio etiam aliquando haud abs re quid desiderauerim. Animaduersiones in *Grotium* promisit. Sed expectationi fortasse tantae non satisfaciet, promissis, quam opera, melior scriptor. Ex unguibus leo, ex factis uir, cognoscitur. Curam illam uix mihi approbabit, qui uideam, eum in enucleandis Iuris Naturalis & Gentium principiis duces sequi parum fidos, aut certe aliquando ancipites, & non raro plane mutos aut coecos. Non ausim tamen quicquam de *Grotianis* illis pronunciare, cum de iis, quae non uiderim, satius putem indicium suspendi. Quod Ciceronem Tacito longissime anteponat (*f*), & infirmi iudicii, & parum uersati in Tacito hominis argumentum est. Interim probo Rachelii conatum, si uel maxime huic non semper responderit euentus.

VII. NICOLAVS MARTINI.

Huic facile erat, refutare Auberium (*g*), Gallum, post.

(*f*) Vid. *Rachelius* in Progr. Inuit. ad Studiosos Kilonienses, &, qui exinde potissima collegit, *Augustus Floridus de Montalbano*, in Colloquio de Iudiciis Sarckmasianis.

(*g*) Scripserat hic *de iustis Praetensi[illegible]us Galliae Regis con-*

postquam *Henricus Kippingius* seu illi parauerat uiam, seu, ut ita dicam, fregerat glaciem, quo minori periculo tam arduum iter susciperet. Et *Kippingium* quidem in historia, *Conringium* in iudicio ciuilium controuersiarum habuit praeceptorem. Vtut nolim diffiteri, magis ualere ingenio, quam *Kippingium*, compilando, quam iudicando, feliciorem. Spondet tamen uirum, si nondum est, & praefert, si uixerit, politicum haud uulgarem, &, iudicio uel ipsius doctissimi *Thomasii*, perquam aestimandum. Stylus moderate cultus, Orationi saepe ad audaciam deest nihil. Quanquam subinde ueniat in mentem mirari, cur, ductu atque auspiciis *Boecleri*, non multum ultra uulgarem eloquentiae mensuram profecerit. Sed hi nostrorum adolescentum sunt mores, properare ad controuersias, discere ineptias, literas humaniores spernere, & ea, in quibus studiorum uertitur salus, prae coeca quadam ambitione negligere. Gratulabitur sibi noster, si aliam, ut debuit, institit uiam. Nolim interea praeterire, eum certare saepe argumentis minime leuibus, & instituto suffecturis. Nec plane, ut apparet, in Iure Naturali & Gentium ho-

contra Imperium Romano-Germanicum, Gallico sermone, Parisiis, 1667. 12. Verum ei sese primus opposuit *Henricus Kippingius*, scriptis *in Axiomata Politica Gallicana*, quae *Auberius*, euulgauit, *Notis & Animaduersionibus* Bremae, 1668. 12. Hunc insecutus *Noster* librum, *de Libertate Aquilae triumphante, seu, de Iure, quod in Imperium Regi Galliarum, nullum competit, nuperis* Auberii Impugnationibus opposi tum, Francof. 1668. 12. Vid. *Cl. Struuius*, in Bibliotheca Historica, p. 463. sq.

hoſpes fuit. Tum uero accurate identidem loquitur, & robur magis dicendi ſpectat, quam inutilem & faſtidioſum quorundam Ornatum. Ad extremum, niſi quaedam Gallica ſuis inſeruiſſet, haud dubie nehic ſciuiſſem, eum lingua gallica loqui potuiſſe. Ceterum gallus quomodo conciliabitur cum Latino, ne dicam, Germano? Verendum ſane eſt, ne alius alium expellat, dicam, an excutiat, ſed de hoc ipſe uiderit. Meum iam eſt de rebus magis neceſſariis laborare.

VIII. SAMVEL PVFENDORFIVS.

Multos habeo auctores, & praeclare de eo ſemper exiſtimaſſe *Conringium*, & optime ſperaſſe *Boeclerum*. Hunc Lipſia, optimorum ſubinde altrix ingeniorum, accepit & formauit, Heidelberga perfecit, dignumque habuit, quem uelut per coloniam, poſt *Scheferum*, mitteret ad Sueonas, qui, redditum in eo ſibi *Boeclerum*, & affirmant certatim & gratulantur maxime. Ego eum cum doctiſſimis contendo, & a *Conringio* & *Boeclero* proximum cenſeo, quicquid cenſeant alii. Elementa illa Iuris, quibus ſuum praeſcripſit nomen, alium parentem, aliam obſtetricem habuerunt, atque putant uulgo. Quisquis uero tandem eorum auctor ſit; illud fatendum omnino eſt, multa ibi ſubtilius, quam utilius, multa acutius, quam uerius, tradita reperiri. Vt uel hoc mihi indicio ſit, aliquem in puluere *Euclideo Doctorem* (*b*) iis elucubrandis inſudaſſe. Diſſertationes

(*b*) *Erhardum* nempe *Weigelium*, celebrem quondam apud Ienenſes Mathematum Profeſſorem. Conf. tamen ea, quae *D. Greningius*, l. c. p. 308. annotauit. Ceterum nimiis utique

nes alioqui uulgauit minime contemnendas, & summis huius seculi uiris maxime aestimatas. De cuius *Monzambano* si quaedam repeterem, actum puto, agerem: satis enim noster laudatus est, quem Regum Principumque fauore subnixum, accepi. Nunc, opinor, Holmiam Suecorum peruenit, hanc & Vpsaliam & ipsam adeo Sueciam, laudibus illustraturus. Interim dolet Germania, Virum sibi ereptum: Suecia traditum amplectitur, & eo nomine gaudet in sinu.

IX. THEODORVS SPRENGERVS.

Hunc, ut non negem, uariarum rerum maxime expertem, & Iuris Ciuilis notitia haud leuiter imbutum; tamen uix est, ut credam, solidis Politicorum disciplinis fuisse innutritum. Iam distinguenda confundit, iam decidenda praetermittit, mox praetermittenda adducit, mox perperam existimat de adductis. Opuscula eius de Imperio plus laboris, quam iudicii, prae se ferunt. Axiomata Status quae uocat, ex *Hieronymo Imhofio* audacissime descripsit. Praetensiones, quas exhibuit, mutilae sunt & mancae. In minimis saepe haeret, & in maximis impingit. Quin & aliquando de manifestis dubitat, & de dubiis confidentius pronun-

que illa *Iurisprudentiae Elementa* laudibus efferuntur in *Conringianis*, p. 87 his uerbis: *Pufendorfii* Elementorum Iurisprudentiae *liber superauit meam expectationem. Est enim dictione elegans, argumento praeclarus, tractandi ratione neruosus. Post Grotium nihil uidi simile.* Eas uero laudes ex quadam potius singulari, qua *Monzambanum* Conringius prosequebatur, beneuolentia, quam ex uera animi sententia, profluxisse certo sum persuasus.

nunciat, ut nesciam, magisne praeceps censor sit, an anceps interpres. Clausa illa Iuris Publici arcana non satis penetrat. Nec elegantia in scribendo, nec accuratione in digerendo, neque iudicio in definiendo, ex dignitate Operis utitur. Et tamen liber librum trudit, magisque foecundum se, quam felicem, ostendit. Scilicet alios uulgus, alios Parnassus, laudat.

X. IO. FRIDER. HORNIVS.

Eum quin cum praestantissimis conferam, uix possum dubitare. Mentis acumine, neque impari facundia, pollet prae ceteris. Tantum ex prudentia morum, ac notitia rerum ciuilium, tulit laudis, quantum in iis industria collocauit. Disertum *Buchnerus*, Consultum *Ziglerus*, redditit. His atque aliis, tum a natura bonis, tum ab arte subsidiis, adiutus, iam sibi, ut hominum ingenia sunt, sapere & spiritus conditione sua altiores sumere coepit. Hinc tandem eo audaciae processit, ut & irritum acumen exerceret, & principia suo iam arbitratu fingeret. Clarissimo sane *Wendelero*, horum studiorum Professori, toties litem mouit, quoties suggestum ascendit. Quo animo cum esset, opiniones, quas imbiberat, ita mordicus defendit, ut nec monentibus cederet, & diffidentibus morose satis repugnaret. Herculi citius clauam extorsisses, quam illi Dominium Eminens. Tanta illi in opinionibus religio, ut paene, cum superstitione coniunctam, diceres. Rationes ut saepe grauissimas, ita aliquando magis speciosas, profert, quam solidas, sique in nulla alia re, saltem in libidine rixandi, praesidium

ſidium ponit. In Architectonica, quam uocat, multa coepit architectari, & ſapiente indigna, & uiro cordato minime ferenda. Multa tamen etiam ibi inuenias bono publico profutura, ſi cum delectu legas & cura. Sed & pulchra dicendi ratione in tantnm claruit, ut multos pares, paucos agnoſcat ſuperiores. Ius Beſtiarum non modo praeclare definiuit, ſed etiam luculenter expoſuit. Plus tamen ſaepe bilis, quam rationis, ſaltem moderationis, oſtendit, diris, ira, minis plenus. Quod argumento eſt, ingenia magis excitata plurimum eſſe immoderata. Si uotis mihi cum eo agendum ſit, nolim, in inglorio ſilentio conſeneſcere, ut qui mereatur uerſari in luce. Si Vitembergam expectaſſet, indulgentiorem forte matrem habuiſſet, & ſummum pariter ſtudiis Patronum reperiſſet, *Illuſtriſſimum Saxoniae Lycurgum, Literarumque & Literatorum omnium & Sanctioris Conſilii Principem, Carolum Friſium, Heroëm in toga, omni aeuo excelſiſſime laudandum.*

XI. IACOBVS LE-BLEV.

Scriptor grauis eſt & cordatus, meliorique animo, quam ſtylo, & rerum maieſtate in quam plurimis, *Philippo Cominaeo* propior. Eloquentiam magis compoſuit ad ubertatem Italicam, quam ad ſuauitatem Romanam. Vir eſt ſine fuco, & linguis exteris ita imbutus, ut non poſſit melius quis exterus. Nec libidinem rixandi, nec oſtentationem, amat, ueteri probitate contentus. Praeter ſummum animi candorem, maximam doctrinae indolem omnes agnoſcunt. Inter cetera ingenii argumenta laudauerim

eius de futuro Consiliario Instructionem, Principem, Dissertationum publicarum exquisitissimum Opus. Ne in praesens referam, quod plurima Italice & Gallice scripta reddiderit latine. Mallem tamen, paulo tersius reddidisset.

XII. GEORGIVS HORNIVS,

Eius compendia, quae iam Orbis, iam Arcae, titulo donauit, uariis erroribus esse permixta, nemo doctiorum potest negare, Alios improuide sequitur, alios incaute describit. Illinc pudor, hinc ignauia, redundat. Quaedam ab eo in leui habita, quae laudata oportuit. Res ciuiles non semel male explicauit, arcana Imperiorum ne quidem intellexit. Quod non miror, cum domesticas quoque ignorauerit antiquitates. Frisiorum Batauorumque Origines tam frigide interpretatur, ut non capiam, quid causae fuerit, quod tantis a Boxhornio laudibus fuerit affectus. Sed nolim eius mihi iram concitare, cuius phrenesin uereor. De absurdis Arcae Mosis nil monebo. Moneat aditus ipsius libri. Sed ista cura ad sapientiae, non ad prudentiae, magistros pertinebit. Mihi sufficiat, in praesens ostendisse, Obem eius politicum (*i*) & Imperantium, plures em-

(*i*) De hoc aliisque eius scriptis B. Gryphius l. c. p. 10. ita iudicat: *Georgii Hornii Orbis Imperans & Politicus, uulgo adolescentibus commendatur: sed uix est, ut iis tuto fidere possis, quanquam Politico, ut audit, Orbi expurgando Amplissimus* Otto Menckenius, *Imperanti uero* Joach. Fellerus, *manum admouerint. Solenne enim fuit Hornio, uiro alioquin non indocto, eiusmodi libros sine ulla diligentia* (bey der Tobacks-

emptores, quam aestimatores, habere. Nimirum haec fata librorum sunt, ut opinione uulgi magis constent, quam iudicio Parnassi.

XIII. PHILIPPVS JACOBVS SPENERVS.

Ne subeat mirari, cur Theologum in Politicorum referre numerum ausim. Nam, ut quondam, corrumpere & corrumpi, seculum (*k*) uocabatur; ita hodie, mutare & mutari, plane in legem abiit. Theologus Politicum (*l*) Politicus Theologum, uult praeferre, induere, non dixerim: Laudat eius labores *Tobias Wagnerus*. Sed is Theologus est, Politici iudicium expecto. De Sylloge eius genealogica iam olim iudicarunt doctissimi *Ephemeridum Auctores* (*m*) Ego, plus ab oleo laudanda, credam, quam ab animo. Nam plurimum diligentiae, parum saepe iudicii, apparet. Theatrum Nobilitatis Europaeae magna quidem nomina habet, sed non, nisi uulgariter, & unde limatioribus nausea existat, descripta. Opus eius Heraldicum (*n*) gallicae sagacitati aut risum mouet, aut bilem.

XVI.

backs=Pfeiffe) *conscribillare*, &c. *quicquid in buccam uenerat*, effundere. Idem de eo Cimbriae Polyhistor, Morhofius, T. II. L. 1. c. 1. §. 5. p. 4. & T. III. L. 2. c. 1. §. 3. p. 12. iudicium tulit.

(*k*) Tacitus, de Moribus Germ. XIX, 3.

(*l*) V. Sarckmasius in Notis. num. XVII.

(*m*) Ephem. XXXIX. p. 451. interprete *Frider. Nitzschio*.

(*n*) Mirari subit, ab *Autore* Collectionis Librorum rariorum, alioquin diligenti, Opus Heraldicum inter inedita *B.* Speneri Opera referri. V. *Eius* Fasc. II. p. 240. Jam tum enim prodierat *B. Speneri* Opus (non, ut quaedam

XIV. JO. FRIDER. POEPPINGIVS.

Orbis, quem inſcripſit, Illuſtratus, adeo non illuſtrat huius famam, ut quoque obſcuret. Vix dici poteſt, quanta de hoc libro, nondum edito, fuerit expectatio, & quantae laudes: quibus iam eo plus decedit, quo minus reſpondit promiſſis.

XV. JO. W. RELFENDSO, HEROMONTANVS. (*o*)

Vel ex titulo, quem libello (*p*) praeſcripſit, collegi, non eſſe eum, quem polliceatur. Nam & uerbis in eo plerisque utitur barbaris, & minus decore cohaerentibus. Librum redeuntis anni exordium, ſpero, afferet. Quem ſi fuerim adeptus, faxo, ut quilibet ſciat, quid de eo ſentiat Parnaſſus, (*q*) & quanto ſimul a *Monzambano* interuallo differat.

Vix

Sarckmaſii Iudiciorum exemplaria legunt, *Ius*) Heraldicum, A. nimir. 1668. teſte *Koenigio*.

(*o*) Perſonatum hunc autorem *Frider. Geislerus*, his indicauit uerbis: *Literas indicatas ita in ordinem redegit fama, ut illius ſcripti non alius uideatur Autor, quam* Jo. Wolfg. Roſenfeld. Heromontani *uero uocabulum alludit ad ſcribentis patriam, quae eſt* Heldburg *in Franconia.* Conf. *Sarckmaſius* in ſcholiis, num. II.

(*p*) de ſumma uidelicet Principum Germanicorum poteſtate, A. 1669. in 12. ſine loci mentione, edito. *Geislerus* autem obſeruat, libro huic diuulgando typographum quendam Lipſienſem operam ſuam commodaſſe.

(*q*) Et, quid promiſit, egregie praeſtitit in Continuatione Judiciorum, n. XXVI. editis inſuper ſub ficto *Hunonis ab Hunenfeld* nomine, breuibus in *Relfendſo Heromontanum* Animaduerſionibus V. *Placcius*, de Scriptoribus Pſeudonymis, n. 1490. p. 370.

Vix haec pronunciaveram in sanctiori Consilio, quod Censorium dici, Apollo uoluit, cum uergens in noctem dies institutū interpelleuit, &, judicia in alium diem reiicienda uel inuito dixit in aurem. Obsequor, quae mea erga Apollinem Pietas est, & moram fortasse non inutilem necto. Futuris, quae in uernum tempus incidunt, Nundinis plures, publica formula ad censorium hoc tribunal uocandos, reseruaui. Ex quibus nomino FELDENVM, IO. LOCCENIVM, KRANICHFELDIVM, HESENTHALERVM, ERNESTVM GOKELIVM, IO. BRANDISIVM, FELWINGERVM, PELLERVM, TEXTOREM, I. I. WINKELMANNVM CHRISTIANVM a TEVTEBVRG, ALIOSQVE, uel laude, uel censura, dignos. Non refragabor, nec me anget, si eadem in me, qua ego in ipsos, censoria uti uirgula coeperint. Enimuero, mihi persuasissimum habeo, in libera literatorum (b) Republica liberas linguas esse oportere. De EXTERIS etiam dicturum me, recipio, si, gratum huius iudicii specimen fore, acceperim, cum minime committendum esse, uideatur, ut uel domi, uel foris, quisquam, huic sorti se exemptum, possit gloriari. Homines sumus, nil humani a no-

(q) Suet. in Aug. Conf. *Nasturtius* in iudicio de iudiciis. *Paranus* in Init. Vind. ubi se excusat.

nobis alienum arbitraturi. Nam, quid de praeclarissimis quibusque ingeniis sentiam, studio ueritatis, & liberali quodam animo, referre, nulla, opinor, lex prohibet, nulla ratio uetat. Nil eo dixi, nil eo scripsi, ut offenderem, sed, ut, ingenuo nostri seculi more, iudicia consideranda aliis aperirem, nemini simpliciter approbanda praescriberem. Inuidiam, odia, suspiciones, res a me multo alienissimas, non opus erit deprecari, cum quicquid fecerim, amore fecerim ueritatis, qua mihi nil prius unquam fuit, nil prius unquam erit. Liberaliter iudicaui, a conuiciis abstinui, calumnias abominatus sum. Hic meus animus est, hoc nunquam esse, desinam, assidue operam daturus, ut neque dicam, neque faciam, aliquid, quo quis unquam possit offendi.

III. *Iudiciorum*
à
Sarckmasio Coeptorum,
Continuatio
Auctore
GALIOTTO GALIACIO,
KARELSBERGIO, (*s*)
Teutoburgi elucubrata.

Sta-

(*s*) Idem est EVBVLVS THEOSDATVS SARCKMASIVS.

STabo promisfis, & continuabo, quod coepi. Vertat ad inuidiam, qui uelit. Saniores, puto, melius haec destinata interpretabuntur, qui norunt, nihil aeque mihi displi-

VS. Promiſerat hanc Continuationem in extremo Iudiorum editorum, ſed nunquam, ob odium, quod hac cenſura i ſe concitauerat, emiſit, prout ipſemet in Initiis Vindiciaam innuere uidetur, quando ait: *Impoſterum quoq; hoc tam uiſo plurimis conatu ſuperſedebit, nullam litigandi occaſionẽ iturus.* Numerus Iudiciorum, ſi priora his annumeres, quod ipſe etiam *Sarckmaſius* fecit, cuius & ordinem retiii, non ſe ultra XLI. extendit. Adeoque uix ſatis mirari oſſum, quid *Placcio* in mentem uenerit, quod dicat, XLVI. utores Sarckmaſium noua perſtrinxiſſe cenſura. Allegat ro ſe, id quod etiam *Cl. Collector* Librorum rariorum facit, . *Deckerum* de Scriptis Adeſpotis. Euolui illum, ſed ne aicem quidem in illo potui inuenire. Recenſet eadem nomiaque in continuatione continentur, nec plura. vid. ille p m.). editionis, *Placcii* Theatro Anon. & Pſeudon. adiectae. An ıbor ipſius ſit Sarckmaſii, dubitandum non eſt, quem ſtylus cile prodit. Inſerta eſt haec Continuatio Faſc. III. Colct. Libr. rar. ſed imperfecta admodum & corrupta. Inueies ibi iudicia quaedam omiſſa, ſtylumque aliquoties ſine ıuſa mutatum. Addo tamen hic Iudicum XLVI. ex ontinuatione, quod Placcius l. c. p. 232. in medium afrt, quodque de *Carolo Scharſchmidio* agit: *Diſquiſitio de epublica monſtroſa contra Monzambano eiusque aſſeclas. ermanopoli 1674. 12. Autor Scharſchmid. I. V. L. Vir dilins, acris, diſputandi cupidus, ſed non perinde moderatus & udens, neque in rebus Imperii accurate uerſatus, & technoγiam pro clypeo Aiacis obuertere ſolidus. S. Puſendorfium, nur & nunc iterum Lipſiae oppſita ei diſputatione, quaerit adrſarium. Sed is hunc refutare coepit 1677. editis Vpſaliae ſertationibus, in quarum addendis Scharſchmidium caſtiga-*. Sub examen quaeſo, hoc uoca iudicium, & ſtatim ſe odet falſitas.

plicere ac inuidiam, istam ingeniorum pestem. Nil ad aliorum refero ignominiam, nil recito ad contumeliam. Vnica mihi met aueritas, &, quae hanc consequitur, utilitas publica est. Quod institutum ut, repetita uice, in meliorem partem accipiat Parnassus, uotorum meorum summa est.

XVI. IOANNES A FELDE.

HUic neque segne, neque sterile, a natura ingenium contigit. Initia & causas rerum civilium adeo confidenter saepe explicat, ut *Grotii* paene in hac parte aemulum dicam. Cumque falsa quaedam in *Grotio* inuenisset, iis saepe remouendis maius studium, quam fortunam attulit. Sumit quædam, doctis nunquam concessa, & multo auidius arripit, quam consultius defendit. Traditum mathematicis demonstrandi morem & subinde sequitur incaute, & amplectitur audacter. Haud raro etiam plus dat subtilitati, quam rationi. Elementa alioquin ipsius haud uulgare ingenium praeferunt. Meditando acris, probando curiosus, iudicando saepe promptior, quam potentior, est. Quaedam displicent, non, ob inscitiam, sed siue ob impensius studium nouitatis, siue ob flagrantiorem cupidinem subtilitatis. Analysin edidit, ut ad interiora Polítices Aristoteleae faceret aditum. Neque haec opinio eum fefellit. Nam & luculentus est ille liber, & lectu dignissimus; si Paraphrasis addatur *Heinsiana*, ingens perspicuitatis adiumentum. Cetera se ipsa uulgo eximunt, uel repugnante inuidia, posteritati transmittenda. Nam alia, propter quae ad-

uerso in uulgus rumore est, non recipit memo-
ida scripturae hic modus. Ad ultimum nolim
fiteri, eum prudentiae studiis id consecutum, ut
ministrandis Principum negotiis adhiberetur, qui-
s tam praeclare defunctum memini, ut *Illustris-*
na Ascaniorum familia dignum haberet, cui ar-
as consilii traderet partes.

XVII. JOANNES LOCCENIVS.

Neque quid de hoc sentiam, occultare in animo
t. Historiae ueteris unus omnium maxime est
iarus. Causas rerum ciuilium non ex uano ar-
essit; & mutabiles imperiorum uices grauiter ex-
endit. De ordinanda republica quae scripsit, haud
arum ipsi conciliarunt dignitatis. Sallustii Epi-
olas eiusdem argumenti Commentario, minime
iscito, illustrauit. Nec frustra laudauerim eius
Rempublicam Apum, in qua plurimum industriae
osuisse mihi uidetur. De annotationibus aliis,
uas ad bonos Auctores edidit, piget referre, quod
raesenti parum conducant instituto. De Vici-
us, seu, ut ipse uocat, Periodis Imperiorum, lau-
es proferre, non attinet, cum uix habeant, unde
ituperentur. Ceteroquin a *Forstneri* grauitate,
 Boecleri copia dicendi, longissime abest, pauca
tiam memorat, aliis non memorata. Historia sue-
ica maiorem ostendit conatum, quam successum.
lures sequitur, quam attingit. *Sleidanum, Thua-*
num, Grammondum, egregios monumentorum
onditores, adeo non uincit, ut ne quidem aequa-
e sustineat. Nihilo in Sueonum pertexenda hi-
toria felicior erit *Scheferus*, peritus antiquitatis, &

curiosioris literaturae scriptor, sed stylo & rerum ciuilium iudicio tantae rei impar. Interim utrique precor, ut suecis, morum similitudine conciliatis, placeant, & amicitiis peregrinae gentis constanter innitantur. Fallor, an, audisse me, memini, Loccenium, ni senecta prohiberet, redire malle ad germanos, quum morari inter suecos. Quod perspicacissima, & literatorum cupidissima gens uix sinet. Haec scribenti nuncius perfertur, inanem fuisse spem, quam de *Pufendorffio* conceperat, quod, mure traiecturus, uictimam se reliquerit mari. Haud facile ingens hoc, & nunquam satis elugendum, damnum Suecia resarciet.

XVIII. ADAMVS PISEZKI a KRANICHFELD.

Quanquam nil noui reperit, nec quicquam abstrusi explorauit; labore tamen non inutili defunctum, haud est, cur dubitem affirmare. Ingenium neque profundis artibus excultum, nec mediocrium rerum imperitum fuit, Compendio, de statu, quem uocat, seculari, edito, & laborem doctis approbauit, & gloriam parauit sibi: aureum id uocat, pro more eorum, qui plus titulo promittunt, quam libris ipsis exhibent. Quod condonari potest, laudari non debet, ne mali exempli imitatio prodatur. Reliqua neque immodice commendata uelim, nec parum. De cetero stylum non laudo, cum non habeat, unde laudetur. In aliis, si consilium non impleuit, uoluit tamen.

XIX MAGNVS HESENTHALERVS.

Is seu ut famae siue, utlitate discentium serui-

ret

ret, athletae, an pugilis magis, politici documentum dedit. *Boxhornium* imitaturus, qui non minus pulchre Quaestiones rerum Ciuilium proposuit, quam neruose decidit. Sed nec eloquentia illi par & robore scribendi longe inferior est. Conatur tamen hos resarcire defectus. Nam ab ascititiis cauet, & longe petita raro adhibet, magis extollendus, si minus uulgaria sibi argumenta sumpsisset. Quod si in posterum faciet, maius Tubingae addet decus. (*t*)

XX. ERNESTVS GOKELIVS:

Militiae potius togatae, quam palestrae ciuili, natum dixerim. Aperitia enim legum & arte forensi magis, censeo, commendandum, quam a prudentiae arcanis. Vt quaequae se legenti obtulerunt, ita in literas redegit, sine orationis cultu, sine rationum delectu. Libro, de Regibus Europaeis, uulgato, nec decus suum amisit, neque ualde auxit. Perspicuitate magis eminet, quam dignitate scribendi. Vix doctissimis concederet, si proinde ingeniosus esset, atque laboriosus fuit. Lecta certe diligentius collegit, quam digessit, aut digesta expoliuit.

XXI. JO. BRANDISIVS.

In Libro, quem de Vera & simulata ICtorum Philosophia luci submisit, Jure Consulti officium melius fortasse exponit, quam praestat. Haud iuerim inficias, perquam doctum esse, si modo satis esset disertus. Nam subinde sententia, qnam uerbis, melior apparet. In Rabulas & Leguleios subinde inuehitur, ut solitum Juris Periti munus redigat in con-

(*t*) Videatur, quae Sarckmasius in notis obseruat. n. XXII.

conſpectum. Philoſophum ſic depingit, ut nemo poſſit luculentius. Naturalis gentiumque Juris & iuxta publici, neceſſitatem grauiter inculcat futuro Iurisprudenti. Librum quo ea tradidit, Illuſtriſſimo Alemanniae Catoni, *Boineburgio*, Heroi in admirationem ſeculi nato, inſcripſit. Vnum miror, quod linguas peregrinas nimis frequenter immiſceat latinae. Fortaſſe, ut, utraſque leuiter tantum dediciſſe ſe, oſtenderet. De aliis non moneo, quia non eſt opus monere.

XXII. IOANNES PAVLVS FELWINGERVS.

Si, ut gloria diſputandi, ita ſcientiae Ciuilis laude, eluxiſſet, dubitarem, an huic aliquem praeferrem. Nunc, cum parum maſculae Philoſophiae apud eum inuenerim, uix eſt, ut Politici numeros impleuiſſe, cenſeam. Ex ſapientia umbratili neque modum tenuit, & quisquiliis Scholae nimis eſt delectatus, ſaepe otioſe, aliquando inutiliter, docet & diſtinguit. Quaeſtionibus exoletis Politicae dignitatem non ſemel reddit exoſam, leges, teſtimonia, ſapientum dicta, maiori licentia, quam elegantia allegat. Forte arbitratus, magnitudinem Politici ex ſcribendi multitudine eſſe aeſtimandum. Diſſertationes, quas de ſpeciebus Rerum publicarum, de Factionibus, de Peregrinatione, & ſimilibus argumentis, emiſit, ſaltem ad praeparandos tironum animos ualent. De Conſiliariis, de Senatoribus & Legibus, quae edidit in uulgus, uix ultra uulgi ſunt captum. Sed parcam ejus famae, neque negabo, doctum eſſe diſputatorem; ſed Politicum eſſe, neque ipſi Neſtori

ori credam. Scilicet nec laudaturo nec uitupera-
iro eum, si uellem, materia deesset.

XXIII. I. W. TEXTOR.

Nolo, qui meus animus est, clarissimo nomini su-
m inuidere famam; Nec mihi destinatum est re-
ludere in praesens, quae premi, Parnassus uoluit.
)e Rebus Ciuilibus doctissime iudicasse, compertum
abeo. Arcana Dominationis nec leuiter pensitauit,
ec inepte excussit. Rerum recentium caussas sae-
e persequitur cum cura. Veterum tamen subin-
e ignarum, aut incuriosum, se prodit. Stylum ejus
o difficilius tolero, quo magis incompta, ut sic dicam,
ueste est obductus. Saepe inuidiam adit, iam libe-
ius iudicans, iam inelegantius scribens.

XXIV. IOANN. IVSTVS WINKELMAN-
NVS.

Artis Memorandi egregius cultor, & imaginum
:o pertinentium sedulus (*u*) repertor est. Caesareo-
ogia nemini, nisi literarum studiis initiato, condu-
:it. Chronologiam a *Schuppio* ad nauseam usque
promissam, publicae tandem redditit luci. Arbo-
retum (retinebo namque uoces eius) Genealogicum
uix ac ne uix satisfaciet doctis. Amphitheatrum
plus spondet, quam exequitur. Notitiam, quam uo-
cat, Historico-politicam felicius ostentauit, quam ex-
hibuit. Historiam Hassiacam, magnificum sane
& principali fortuna dignum opus, iam olim conde-
re uoluisse, accepi: Sed uereor, ne conatu maior sit,
atque successu. Nam, tanto instituto non, nisi ab-

 stru-

(*u*) Quid de his Eruditorum foetibus sentiat B. Cryph...
uide apud ipsum, l. c. p. 25. sqq.

ſtruſam & numeris omnibus abſolutam, rerum ciuilium, ac Hiſtoriarum pariter, cognitionem ſuffecturam, puto. Hasſia eum Friſiae intulit, Friſia ſubinde Hasſiae reddit, mutuo utendum. Ceteroquin propoſito firmus, animo impiger, ingenio celebris eſt, dignus, qui domi laudem, foris famam, conſequatur.

XXV. CHRISTIANVS A TEVTEBVRG.

Monzambanum caſtigauit, ambiguo laudis euentu. Alii, haud inglorio officio perfunctum, cenſent. Multi, eum oſtentui fore Parnaſſo, credunt. Hi quid ſentiant, audire licet, aſſentiri non ſemper licet. Sane experimentis mihi cognitum eſt, doctum eſſe, & multa lectione exercitum. Haud inanem prudentiae animum pluribus argumentis oſtendit, &, libere ſua explicare, non credidit nefas. Nam neque in Examine *Monzambaniano* negligens, neque Auctori unquam blanditus fuit. Adeo neglectui inuidia, adeo in deliciis ueri erat amor. Ceterum ad menda animum aduertenti ſuccurrebat, dictiones, pro more ſcholae uſurpatas, non dehoneſtamentum quidem, ſed dedecus, attuliſſe. Rationibus certe utitur ad eum modum, qui proletariis ratiocinandi artificibus ex ſchola eſt approbatus. Juris etiam Publici ſacra potius delibauit, quam in ſuccum & ſanguinem uertit. Exiguum eſt, quod ex fontibus deriuat. Subtiliter colligit, parum ſaepe ciuiliter loquitur. Mallem, de integro Diſquiſitionem de Forma Imperii ſcriberet, & concinnius elaboraret.

XXVI. JO. RELFENDSO, HEROMONTANVS.

Su-

Subit memoria promiſſorum (x) dum oculis oberſatur hic ſcriptor. Qui, ſi recte calculum pono, Juris peritior, quam Jurisprudentior, eſt. Allegat, quae praeteriri, ſatius fuerat. Sed & lege philoſopha omnia nimis metitur. Dictiones non multum ſaepe elegantiae, rationes leporis parum, grauitatis minus, dignitatis minimum, acrimoniae nil, habent. In Juriſconſulto Politicum praefert, in Politico Juriſconſultum. Tum uero nil affert noui, nil ſuppeditat rari, ſed omnia trita ſunt & uulgata. Reddere aut referre *Monzambanum* uoluit, ſed irrito, ut puto, ſucceſſu. *Monzambano* defendendo cum famam quaerit imprudenter, amittit. Ariſtoteli, formas Rerum publicarum percenſenti, inuito legem ponit. Statum Imperii dum explicat, ſaepe implicat magis. Imperium, ex regulis prudentiae ciuilis aeſtimatum, monſtroſum eſſe corpus, ait monſtroſus *Monzambani* aſſertor. Aulam Auſtriacam, & ſanctiores eius adminiſtros, indignis conuiciis conſectatur. Fundatam longo tempore ſaxonicam domum, & tot Regum Principumque ſtirpem, ac Caeſaris Electorumque neceſſitudine ſubnixam, iure laudat, &, ut unica Saxoniae ſpes, JO GEORGIVS III. regio matrimonio in immenſum adoleſcat, merito mecum precatur. Cuius Sereniſſima Coniux, ut non ita pridem foecunditatis experimentum feliciter edidit, ita, ut in poſterum feliciſſimi uteri ſit, faciendis operam dabimus uotis. Sed uix ſibi conſtat noſter, cum, eodem libro, Electori nimia uectigalia

(x) Vid. ſupra p. 26. N. XV. & quae ibi annotamus.

lia non tacite modo exprobrat, ſed aemulationem, in parte nundinarum, uicini Principis exaggerat. Indigna haec noſtro de Principibus concepta opinio eſt, quorum decus eſt, ſtare legibus, ſancte colere pacta, rata habere Imperatoria Priuilegia, fide denique ac amicitia res ſuas Imperiique concordiam, firmare. *Carolum* & *Henricum a Friſen*, non prudentiſſimos modo, ſed prudentiae miracula, appellare debuiſſet.

XXVII. WILHELMVS FERD. ab EFFERN.

Periclitatus eſt uires niſu maiori, quam effectu, Manuale quod inſcripſit, neſcio, magis priuato ornamento, an publico ſplendori, uoluerit dicatum. Vtrobique ſuae tenuitatis dedit documentum: in poſterum, ne altius ſurgat, generi ſuo hac ſcriptura caliginem inducturus.

XXVIII. IOANNES SCHMIDELVS.

Boxhornii de Regio Romanorum Imperio Diſſertationes docte illuſtrauit, a breuibus initiis ad maiora, ſi per fortunam liceat, progreſſurus. Vaſtus enim prudentiae campus eſt, quem uno anno haud facile emetiaris. Plura, ſpero, conabitur, ſi auſpicatiori omine Schola excitetur Erfurtina. Adiuuabit ſtudium Elector Moguntinus, cuius indulgentiam mereri, ſumma illi felicitatis pars erit. Ceteroquin eius naeuos nolim purgare. Maſculum dicendi robur, & prudentiae aliquid, haud abs re in eo deſiderauerim. Sed non uacat omnia reprehendere, quae deprehendi, errata.

XXIX. IAC. BERNARD. MVLZIVS,

Huic deſtinatum fuit, cum *Chaſſano, Hyppolyto, Monzambano, Auberio*, pro ſalute, & libertate Impe-

perii, non armis quidem, sed rationibus, dimicare (y). Dubito, an id, quod uoluit, semper fuerit assecutus. Iam trita repetit, iam affert, quae non exsaturant animum. *Monzambanum*, tot uicibus refutatum, hic denuo refutauit. Vindicias Maiestatis Imperii, plus millies uindicatas, uindicauit, & nil plane egit, nisi actum.

XXX. NICOL. MYLERVS.

De Statu Imperii non minus solide scripsit, quam erudite iudicauit. Pauca in eo sunt, quae fastidiam, plura, quae prompto assensu excipiam. Vel sola Archologia eius exquisitam rerum Imperii scientiam testatur. Proinde, licet in quibusdam ab eo discedam, tamen his nomini meritisque eius nil detractum uolo, laudaturus, sicubi laudis materiam fuero adeptus.

Ita Scriptorum seu laudes, seu uitia, interpretanti uersabantur ante oculos GOTTLIEBII AB HAGEN *Comitiologia*, BRAVNII pro *Austriacis suscepta Defensio*, EITELII FRIDERICI AB HERDEN *Firmamentum Status Imperii*, IVSTI REIFENBERGI *Nomothesia*. Quibus ut suam tribuo laudem, ita non temere pronuncio, nimis saepe manifesta studii partium uestigia in iis extare, pleraque etiam mallem latine, quam Teutonice scripsissent prae-

 di.

(y) In Dissertatione, *de Libertate Omnimoda*, quatenus ea cumprimis Germaniae competit. Prodiit ea primum sine autoris nomine, Norimbergae, 1668. 12. recusa mox, eodem, ni fallor, anno, nomine Autoris praefixo.

dicti Auctores. Nec immerito in profundiori rerum ciuilium intellectu quid desiderauerim. Cur uero IO. GEORG. STIRNII *Nomothesiam* omnibus commendatam uelim, *in Tramite Iuris Publici* (z) exponam.

XXXI. AVCTOR MEDIORVM PACIS IN IMPERIO CONSERVANDAE.

Instrumenta retinendae pacis in medium profert, cum in Austriacos iniqua, dum dignitati Imperii aduersa. Sanctionem Westphalicam pro Gallis magis, quam pro Germanis, interpretatur. Peregrinum Regem purgat, ut domesticos Principes accuset. Imperio iacturam uirium, Imperatori orbitatem, exprobrat. Ditiones Burgundicas ab Imperio ita separatas atque auulsas esse, contendit, ut plus meditatus fuerit in eius fraudem, quam utilitatem & publicum decus. Postquam haec disceptauit, magnum molis consilium agitat, utrum pax, quae eo tempore nondum inter Gallum & Hispanum coaluerat, recte possit sperari. Negantium tuetur partes, ipso salutaris pacis euentu refutandus. Quod dum agit, uel alimenta ministrare bello, uel materiam alere dominatiani, uoluit. De

(z) Aut fallor, aut iste *Iuris Publici Trames* lucem nunquam aspexit publicam, referendus adeo promissos inter libros, sed latentes, in quibus annotandis utilem satis, sed non satis accuratam, Theodorus *Iansonius ab Almeloueen*, & *Rudolphus Martinus Meelfuhrerus*, Operam posuerunt. Cui uolupe est Accessiones & emendationes in *Vitae Schurtzfleischianae autorem*, *Clarmundum* puto, componere, poterit haec ad p. 95. ubi de Edendis agit, inserere.

e ceteris nec inepte iudicat, nec inutiliter :nſet. Sed Stylus raro aequalis, Oratio plurimum pera eſt.

XXII. AVCTOR MORIENTIS POLONIAE.

Stylus Polono dignus, cognitio Status Poloniae iinime uulgaris, iudicium haud ineptum, amor erga oloniam ſincerus, ſtudium eius conſeruandae nec ctum, neque fucatum, apparet. Indicem erro-um, Imperii eiusdem malorumque publicorum qua-imaginem quandam, exhibet, ſimul etiam media iggerit adhibenda. Libertatem electionis & reli-ionis, uelut fundamenta Reipublicae Polon: ſub-ruit. His obſeruatis, eam ſtare, his neglectis, li-rari, aut ſubuerti, uerius, quam terſius, docet. Jam e *Polonia ſuſpirante* WARTMANNI nil atti-iet dicere. Nam, ut nimias laudes reſpuit, ita mo-icas pro merito recipit.

XXIII. AVCTOR CONSILII PRO REDINTEGRANDO POLONORVM REGNO.

Gallici nominis infenſiſſimus hoſtis eſt. Cuiuis nauult inſigne Polonicum deſtinare, quam Prin-:ipi *Condaeo*, aut alii Gallis affinitate annexo. Parti-ius in tantum ſtudet, ut uix ſine ſtomacho legatur. *Principem Neoburgicum, Iagellonidum* progeni-m, prae ceteris, tanto faſtigio dignum affirmat. Sed fortaſſe pauper *Jagello* ibit foras, cum *Croe-ſus* auro onuſtus ex Gallia ueniet. *Neoburgico* proximos ſtatuit *Philippum Sulzbacenſem, Pala-tinum*, & *Georg. Chriſtianum*, Haſſiae Principem. *Ducis Lotharingiae*, proci alioquin haud ſegnis, cauſam, deſerit, nimio, quo in gallos eſt, odio ac-

census. Scilicet Candidatos Regni, ipse sibi fingit. faciendi certe arbiter non erit. De cetero saepe insulse loquitur, nec magis scite iudicat. Abdicationis regiae institutum uecordiam interpraetatur, parum (erumpit enim indignatio) a uecordia alienus.

Mitto scriptores domesticos, ac ad Exteros potissimum me conuerto. Quod eo minus ingratum erit, quo tutius ex longinquo, quid libeat, licet iudicare. Ordiar a *Gallis*, & desinam in *Belgis*.

XXXIV. S. AVBERY.

Legum & fori peritior, quam prudentior est. Solidae antiquitatis ignarum, melioris literaturae expertem, rerumque ciuilium plane imperitum, & in historiis hospitem plus semel offendi. Vitium uitio accedit, quod studiosus partium sit, & nil scribat, nisi in gratiam sui Regis. Pugnat cum laruis, cum rationibus deberet. Struit Monarchiam tam mirabilem & omnibus bonis exosam, ut haud immerito subeat mirari, cur tantis erroribus quidam indulgeant ex Gallis. Si inter germanos talem inueneri- mus germani, ostracismo mulctaremus hominem. Nam ineptis Chartis tantum sibi detraxit laudis, quantum ostendit insipientiae & affaniarum. Siue ratione, siue omni iudicio, destitutum fuisse, crediderim, quod ineptissimo scribae, fallor, an formulario, aut Causidico, neque Augustum Caesaris nomen, neque sacrae Imperii infulae, neque fasces omnium consensione gentium honorati ullam iniecerint religionem, aut pudorem saltem aliquem expresse-

rint

it. Qua seu scribendi proteruia, seu inuehendi procitate, adeo irritatum Apollinem, accepi, ut dig-ım habuerit, qui remittatur ad subsellia donati, tali dicio sistendus, quale uel pueros dat in ruborem. am nil affert nisi exoletum, nil proponit, nisi eptum, nil allegat, nisi praeposterum & ruersum, nil defendit, nisi explosum ac ue-state contritum. *Chassanum, scipionem du leix* ea fide sequitur, quo ipse iudicio est. *Dadis Blondelli & nouitii cuiusdam Galli*, in dissertione, gallice edita, ineptias ex *Böclero* nostro ognoscere promptum fuit. Semper, quod pace istarum aurium dixerim, mouet Camarinam, & iam im sopitas *Baldi Bartolique* ineptias repetit, uatenus rerum ciuilium ratio habetur. Si sagassimus ille gallus in disciplinam simplicis cuiusdam ermani se tradidisset, & Libri *Conringiani*, de Finis Imperii, Animaduersionumq; *Boeclerianarum*, iterpretem habuisset, non puto, tantopere delirasset, neque tantam nomini aspersisset labem. Nam, t maxime uelim diffiteri, insignem Auberiorum imiliam, a longo inde tempore, plurimis laudibus aruisse; noster tamen plus fuci habet, quam famae, aut, si famam habet, non est ex solido, aut saltem on meretur. Dumque id apud animum expendo, ibinde doleo, consilii, quod *Grotius Beniamini Auerio*, eius, nisi fallor, necessario, ad *Belgas Foederatos* per id tempus legato, impertiuerat, plane obum fuisse. Verba, quae *Grotius* concepit, hunc modum Epistola, quam ad *Auberium* scripserat, cturis reddet: *Nihil est, quod tibi aeque commen-*

mendem, atque studium Juris, non illius (solum addo,) priuati, ex quo Leguleii & Rabulae uictitant, sed gentium & Publici. Id adeo male Apollinem habuit, ut Orbilium curaret aduocandum. Sed strictiori iudicio non semel intercessi, conatum interpellaturus, unde aeternam recuperet ignominiam iste Gallus. Tandem adueniebat Mercurius, & interposita auctoritate, mitius pronunciaret, Parnassus admonuit. Satis illum luisse poenae, qui omnibus deridiculo sit, & *Regis Christianissimi* iram sibi conflauerit, quippe cuius iniussu tam ineptam prodiderit scripturam. Id, ut alii censent, ita confidenter asseruit *Jac. Bern. Mulzius*, (*a*) recentissimus Auberii oppugnator. Mercurii tandem sententia uicit, Auberio, deiectis prae pudore in terram oculis, ex consilio abeunte, & errores, ut poterat, maxime, deprecante. Nempe aliud est, esse Patronnum causarum, & experiri iure, aliud est rerum ciuilium doctorem profiteri.

XXXV. AVCTOR REGINAE CHRISTIANISSIMAE IVRIVM IN BRABANTIAM.

De hoc meminisse uelim, sub quo Rege scripserit: Auctor sane elegans, & peritissimus ciuilium negotiorum. Sed, dum consulit utilitati sui Regis, abit a uero, auget iniuriam Hispanis, seu adulatione, seu pecunia, eo inductus. Artes fallendi quasi uirtutes laudat, pactis conuentis tantum largitur, quantum

(*a*) in Dissertatione, quam dixi, *de Libertate Omnimoda*, cui inserta est *Destructio Praetensionum Auberianarum*, quas iniussu Regis Christianissimi scriptas fuisse, demonstratur.

n prodest Regi. Speciosum matrimonii nomen ;eminat, ut sibi odium demat, ut tegat fraudes, ut truat accusationes pro sua causa. Cum haec timaret, ficto nomine quidam *Beuclerius* aggressest castigare scriptorem, omnis ueritatis oblitum. mo initia & abditas causas eruit gallici dominatus; inde rationes persequitur & momenta , quibus s iste scriptor est in praejudicium Hispanici Juris. i ausus quam egregius, tam inuisus Gallis fuit, ignante *Grauelio* & postulante manifestae initatis. Sed gratiam huic reddent Hispani, agcent Austrii fidem atque exemplum pietatis erga n domum; Posteri intelligent discrimen ueri & i.

(XXVI. THEOD. GRASVINCKELIVS.

'estiuus est & haud morosus scriptor. Nec difis est intellectu, neque nimius acumine. Seria e interpellat ioco, & non raro magis lepidus, m solidus, est. Stricturas, si recte calculum o, edidit in *Grotium*, neque plane inutiles, netemere semper spernendas. Quaedam tamen satis persequitur, quaedam leuiter praeterit, non a obiter expendit. Alia speciose affectat, alia eram castigat. Multa dicit, paucissima confir. Saepe animo, quam ingenio, melior est. tos aliquando pungit, nec raro docta expungit. d arbitrium illi a plurimis uitio datum, intelle- Scilicet nec potuit ferre seruitutem, & nesciuit ibertate. Bellum, quod inter eum & *Fel- im* exarsit, parum ipsi attulit dignitatis. Vt- cun-

cunque uero se id habeat, plurimum laborauit. Si non elaborauit. Nam alii nituntur ad magna, alii enituntur.

XXXVII. JANVS KLENCKIVS.

Famam alios habere, alios mereri, suo exemplo testatum fecit noster. Ab indole, amore breuitatis, iudicio, egregio compendefacti *Grotii* specimine, multis commendatum audiui. Parum quoque abest, quin *Conditores Ephimeridum* eum ante ceteros laudent, & in proximo *Hugoni Grotio* fastigio collocatum uelint. Parum certe decoris censurae suae adiecerunt, dum ita censuerunt, *Hi Patres*. Nam & uulgaris ille labor est, & plus sedulitatis, quam ingenii habet.

XXXVIII. HVGO DE ROY.

Prima illa naturae humanae sedulo inuestigat, & diligenter persequitur, nec modo capita Iuris Naturalis, sed & Fas Gentium, praeclare exponit, iuxtaque illustrat. Arduum illud usucapionis argumentum solide est interpretatus. Liber, quem de Eo, quod Iustum est, inscripsit, & dignus utilitate publica est, & laudis meretur plurimum. Iudicando eximius, explicando gnarus, decidendo promptus est. A facundia nec laudandus impense, nec uituperandus, uidetur. Aliqua tamen se obtulerunt, quae commendare operae non erit pretium. Sed haec, in censorios redacta commentarios, non est opportunum, memorare in praesens.

XXXIX. THOMAS HOBBESIVS. (*b*)

Famam quam numerorum proportionumque scientia

(*b*) Plurima essent, quae de *Hobbesio*, si limites Notis destinatos

ia comparauit, prudentiae ſtudiis adeo non auxit, ıuoque labefactauerit maxime. Nam iuſtum niuſtum perperam aeſtimat, legem male definit. ıcipem impie ſoluit lege. Ciuitatem, cum ador-, aut deformat, aut euertit. Pactorum Religio-ıon multum tangitur. Societates ciuiles non ıſiderat, ut debet, iamque principia noua conſtı-iam uetera maiori, dubium, libidine, an contra-di-

ɔs uellem transgredi, monere poſſem. Hoc interim mo-ſe ſufficiat, acutiſſimum hunc Anglum tot tantaque, ob as in Philoſophia, Opiniones, bella ſi non mouiſſe, tamen taſſe, ut confecta quaſi phalange aduerſus illum irent rma: Quos inter *Robertus Scharrockius*, *Richardus. Cum-ındus*, *Franciſcus Iulius Chopius*, *Sethus Wardus*, *Sam. Stri-ʿus*, aliique, quorum nomina recenſet Scriptor *Anony-* Vitae *Hobbeſianae*, Carolopoli, 1681. 12. A partibus en *Hobbeſianis* quoque Viri ſtant eruditione & fama ma-i, *Sam. Sorberius*, *Marinus Merſennus*, *Petrus Gaſſendus*, ıbertus Velthuſius, *Io. Chriſtoph. Beckmanus*, alii, de quibus ter *Vitam Hobbeſianam*, modo dictam, conſulatur *D. ·ningius* l. c. p. 248. ſeqq. Tametſi fatear, illum multa doxa ſtatuiſſe, uix tamen, cum *Parckero*, adducar, ut ſub-imum hunc uirum *Epicuro* comparem & *Vanino*. *Hob-* certe Defenſionem Vir in hoc literarum genere multo atiſſimus *D. Nicol. Hier. Gundlingius*, Obſeruationum ſt. Tomo I, Obſeru. II, p. 37. ſeqq. in ſe ſuſcipere non tauit. Verum ita fert ac tulit genius huius & ſuperio-ɜui; cuius mentem uiuis quaſi coloribus notiſſimus An-: Theologus, *Henr. Morus*, in Apologia pro *Carteſio*, ie-it, cuius teſtimonio & Cel. *Gundlingius*, Otiorum T. II. . utitur. De *Hobbeſio* quidem ipſo *Magnus Britanniae* *Sorberio* dixiſſe aliquando fertur: *Se illo uti, inſtar urſi, oloſſorum dentes tentandos & acuendos.* Vid. Iurecon-ſimi *Wernheri* noſtri Iudicia de praecipuis nonnullis oribus Iuris Naturae, §. 8. p. 12.

dicendi procacitate, deseruit. Absolutum Principi imperium asserit, ciuem non iuri, sed mero Principis arbitrio, subiicit, affirmans, faciendum, patiendum, cum facere, pati, agere, omittere, pro fructu uelit, iubeat Princeps. Vereor, ne hac Cyclopica licentia cyclopicam Rempublicam condat. Viuat Hobbesius in ea, si uelit. Nobis longe alia placet. In Volumine de Materia, Forma ac Potestate, Ciuitatis Ecclesiasticae & ciuilis multa salubriter admonet, plurima inserit pessime concepta, petulantissimeque defendit reiicienda. Rationes, ad liquidum perductas, saepe reddit perplexas. Meditationes suas non publica utilitate, sed priuata subtilitate, rependit. GISBERTVS COCKIVS, (b) magister ex uulgari schola, eum elegit hostem, legem, & imperium & pacta, quae conuellit, a machinationibus ingeniose prauis uindicaturus. Qui conatus plus ex audacia habet, quam ex successu. Nam uix leuiter eruditum uel sola tanti nominis ueneratione debuit absterere. Sed cupido famae magnum in tenui eruditione malum, addidit illi calcar. Coquit *Cockius* & recoquit. Et tamen parum a cruditate abeunt;

(b) Erat is Pastor Cockengensis, edidit *Hobbesianismi Anatomen* anno 1680. Quam quidem commendant Theologi Vltraiectini, *Petrus von Mastricht*, & *Melchior Leydeckerus*; Sed, iudicante Groeningio, l. c. p. 250. in multis parum ingenue sententiam *Hobbesii* peruertit. *D. Gundlingius* Obseru. Select. T. I. p. 48. *Cokii Anatomen*, librum inepto Theologo dignum, uocat, utpote in quo nihil sani, nisi quod e *Caluini* Institutionibus Christianis, & *Bezae* scriptis profluxit.

int, quae apposuit. Festiue & eleganter prae ceris eum castigat *Thomasius* in Dissertationibus quisdam. Sed totum refutare nimia illi forte uidetur moles. Esset uoto expetendus, qui in eum animaduerteret, ut REUIVS in Suarezium. Verum ictenus, sententiam nostram de Hobbesio breuiter notasse, sufficiat. Nam, iam satis monitum est, irtam Matheli gloriam infaustis prudentiae ciuilis eciminibus immane quantum corrupisse.

XL. ROBERTVS SCHARROCKIVS.

Quam Iuri Naturali (c) interpretando Operam aestitit, haud exiguam illi attulit gloriam. Nam strenuus legis naturae defensor, & saltem modice udandus eius *Interpres* est. Quisquilias *Hobbeanas* & gnauiter detexit, & feliciter amouit. Eius dicia seu Censura e Legum multum famae, mulm nerui, habent. Nil ibi compositum ad ostentionem, nil scriptum ad otiosam subtilitatem. Plaus est, & inter acumen & uulgarem simplicitatem edio incedit loco. In qua parte laudis *Hobbesium*, opularem suum, iudicando procacissimum, longe itecedit. Nec probro insectandus eius de Officiis oer est, qui haud paruum eius solertiae specimen edit. Nonnunquam tamen aut quaedam relinquit nbigua, aut non recte decidit. Ausim tamen in erisque illi ROBERTVM SANDERSO-VM, (d) seu iudicio, seu recondita ui ingenii, praefer-

(c) Ius *eius* Naturale sub examen uocatum uides apud D. roeningium l. c. p. 265.

(d) Locum meretur inter illos, qui ingenii sui foetus i-

ferre, non, quatenus de rebus ciuilibus ſermo eſt, quas doctus ille Angliae Theologus a ſe cenſuit longe alieniſſimas. Sed pro ea parte, qua de ſanctitate legis naturae, & obligatione conſcientiae, datus illi diſſerendi locus eſt. Inuehitur ſaepe uix tacite in Praeſulum quendam, cum uiueret religioſiſſimum, *Balduinum*. Quo id faciat iure, Theologi uiderint. Sed mitto Theologum iſtum, & illuſtri ingenio uirum nomino, IOANNEM SELDENVM, illud ſuae gentis miraculum, & unicum Angliae decus. Cum quo Mare (*e*) Clauſum aduerſus Mare Liberum *Grotii*, omnino defenderim. Non quod putem, illo *Grotium* inferiorem, qui certe multis modis ſuperior eſt, ſed, quia ita ſcribendum erat, ut Batauae Reipublicae exigebat ſtatus. Nolim

gni tradiderunt. Quamplurima enim ſcripta ſecum aſſeruata, quanquam, multorum iudicio, publica luce digna, cum ſuprema inſtaret hora, flammis ipſe tradidit, ne forte ſe defuncto, imperfecta, quaeſtus gratia, euulgarentur.

(*e*) Diſceptatum uarie fuit ſuperiore ſeculo inter eruditos, an Mare proprietatis plane ſit incapax, nec imperio uel poteſtati poſſit ſubduci. Et, quamuis de interiore mari, quod intra fines cuiusdam imperii concluditur uti, u. gr. eſt, Mare Adriaticum, hodie *Golfo di Venetia* dictum, id omnes concederent facile, de exteriore tamen, ſeu Oceano ipſo, non item. Negarunt hoc inprimis *Belgae*, nominatim *Hugo Grotius*, Graſuinkelius, Schookius, aliique. Sed contrarias partes tenuerunt *Angli*, praecipue *Io. Seldenus*, horumque ſententia plerorumque eruditorum. *Strauchii* puta, *Strunii*, *Zigleri*, *Schilteri*, Boecleri calculum meruit. *Herm. Conringio* Liber *Seldeni*, de Mari clauſo, doctus quidem & uariae lectionis, ſed, prae ſtudio in Angliam ſuam, paene ridiculus, in *Conringianis*, p. 83. audit.

lim huc referre, multa, ex *Ebraeorum Magistris* desumpta, indocte uertisse, tum & saepe scripsisse subtilius, quam politius. Nam grauia Anglicae gentis ingenia Mercurium habere malunt in pectore, quam in lingua. In Iure Naturali & Gentium, confitendum est, *reliquis*, si *Grotium* excipias, anteferendum. Sed reuertor ad Scharrockium, summatim monuisse contentus: tantum abesse a *Grotio*, quantum a mediocri excelsum. Nam, id ut dicere liceat, Anglorum ille celebratus candor mihi fiduciam dedit.

XLI. LES ESSAIS DE MICHAEL SEIGNEVR DE MONTAIGNE.

Opus Socratis illius gallici, quo quidem nec Gallia, nec reliqua Europae Regna, dignius uidere unquam Opus, cui, quam meretur laudem, nec laudatissimus persoluere potest. Opus quod hominem tam sibi reddit ipsi, ut, sine eo sensum communem coecutire, persuasum mihi habeam omnino; quo quemcunque carere uideo, tacite, eum in literis languere & frigere, praesumo.

IV. *LABRONIS a VERASIO* (f)

SATVRA SARCKMASIANA

publice detecta,

modeste castigata.

Errores erunt, donec homines.

Teutoburgi

ex

Officina *Scipionis Fontabii*, (g)

A. CIↃ IↃC LXIX.

(f) Exemplari, quod possideo, Vir Celeberrimus, C. Gr.,

 haec

EU. *Th. Sarckmasius*, ut auctor personatus, ita scribendo plane immodestus, tale per hoc tempus in Parnasso bellum concitauit, quale nulli seculo cognitum, nulla Patrum memoria auditum est. Exhorrui, imo paene obstupui, cum liberam istam *nouitii scriptoris* censuram inspexi: in qua tam se praebuit iniquum, quam prodidit rixosum. Nulla ibi meritorum *Conringianorum* religio, nulla erga *Boeclerum* reuerentia, nullus denique inuidiae metus fuit. Scire peruelim, ubi iste lateat tam *immodestus censor*, dignus, cui omnes ex Parnasso bellum denuncient. Tum uero nunquam committendum est, ut ulla gratia illum habeat impunitum, cui nihil in Parnasso sacrum, nil uenerabile fuit. Imo cui iam tum in morem vertit scribendae saturae cupido. Quae si inualuerit, non monitores, sed reprehensores, non Censores, sed tyrannos Respublica literarum habebit. Alius alii ludibrio, alius alii taedio, plurimi odio praeter meritum sibi inuicem erunt. Maiores, medii, minimi Censura notabuntur: Nil deniq; usquam a satura & insectationibus erit tutum. Sed aiunt quidam, uel eo nomine ferendum esse hunc *Sarckmasii* conatum, quod scite scripserit & argute. Esto, scripserit, ut laudetur. Confitendum

haec ascripsit: *Autor est ipse* Sarckmasius, quicquid dissimulet. Confer. ea, quae *Sarckmasius* in Annotationibus habet. num. III.

(*d*) Idem est Papstius, quem supra nominaui. Hoc scriptum excudit ad exemplar Witenbergense, Norimbergae *Wolfg. eb Erhard.* Selsecker.

dum tamen est, scripsisse sæpe parum probe, & certe minus modeste. Multa quoque extremis quasi digitis attingit, quorum altius repetendae fuerant Rationes. Quin sponsionem facere ausim, plus fama accepisse, quam legisse, multarum etiam rerum uel incertos, uel falsos auctores habuisse. Nimis uero præceps sit, oportet, qui omnia, quae audit, protinus credit. Quanto magis ille uenit reprehendendus, qui credita statim defendit. Nescio quid sit iudicare, si hoc non est, perperam iudicare. Nempe aut parum digna sapiente, aut nequicquam circumspecta credulitas est.

§. 2. Hæc scribenti nuncius affertur, fratrem eius *Galerium Valerianum* Censuræ *Sarckmasianae* defensionem satis acerbam moliri. Nimirum hi *Parnassi Duumuiri* erunt, leges daturi, non accepturi. Ego sane praesidium in ueritate ponam, non in obtrectatione alienae laudis. Sordeat *Sarckmasio* stylus communis, sordeat quoque meus. Nil mea refert. Stultus sim, si arrogantissimi *Censoris* arbitrium formidauero, qui meminisse debuit, stylum ueritatis interpretem esse, non instrumentum acerbitatis. Sed & credat *Sarckmasius*, me styli gloria ipsum facile aequaturum, si non iam tum aequaui, imo si, non uici. De Caetero nolim, quid sentiam, audacius loqui. Parco *eius* nomini, ut parcat meo. Calumnias mitto, ne bellum calumniarum oriatur. Nil detraho existimationi, ne detrahat meae. Quid enim promptius *Nostro* erit, quam saturam saturae, aculeos aculeis opponere. Ut nimis seu ira seu insolentia aestuasse eos putauerim

rim, qui famoſum *illi* exprobrare caeperint Carmen. Id ut ego non dixerim, ita, nil ad nimiam acerbitatem defuiſſe, affirmauerim. Sed paulatim hic impetus praepoſteri iudicii deferbuit, poſtquam ii homines intellexerunt, nil ibi ad auctorum Contumeliam ſcriptum eſſe. Imo, ſi recte auguror, *Sarckmaſius* meliori animo, quam opinione fuit. Quicquid huius ſit. Tantummodo liberiorem cenſuram reprehendo, quae in iſtam *Sarckmaſii* lanuginem non cadit. Nolim etiam praeterire, audiuiſſe me ex multis, *Sarckmaſium* iſta iudicia edidiſſe, non tam ut approbaret, quam ut aliorum iudicia ſuper hac re exploraret. Retulerunt alii, id ſpecimen ad refraenandam imperite ſcribentium multitudinem edere uoluiſſe. Qui facile poſſint coniectare, quid de ſe iudicaturus ſit *Sarckmaſius*, cum talem in modum de ſummis iudicauerit uiris. Sed coniecturas loquor, dum haec loquor. Ab aliis uero didici, ſcriptum eo Conſilio euulgaſſe, quo ſciſcitari liceret, quomodo literati hanc ſcribendi libertatem eſſent interpretaturi. Si bene res cecidiſſet, & impune licentiam tuliſſet, ad maiora graſſaturum fuiſſe. Accepi enim, *de ſtatu imperii* aliquid plane ſingulare elucubraſſe, & non minus ſaepe libere quam acerbe indicaſſe. Unum ſubit mirari, fuiſſe aliquos, qui initio conatum *Sarckmaſii* adeo non reprehenderint, ut modice quoque laudauerint. Qui, cum neſcio, quem ſibi ex triuio *Sarckmaſium* breui poſt finxiſſent, mox ſtudium ingenti inuidia mutauerunt. Si tempus eſſet, facile horum animis praeſumtam opinionem euellerem, oſtenderemque, alium compoſuiſſe, a-

lium

lium edidisse, censorium istum commentarium. Quorum illud procacitatis, hoc innocentis forte imprudentiae fuit. Sed quicquid horum sit, uerum nihil ominus de his iudiciis celare iudicium, officio meo haud abs re putaui alienum.

§. 3. Sed ut de ingenio eius paulo manifestius constet, annotasse in rem fuerit, quod nuper ad *Petrum Salinarium* scripsit, amicum mihi in paucis. Refert, si recte recordor, *Pompeiopoli* Teutonum sibi nunciatum esse, futuros, qui secum descendant in arenam. Horum alios Boues Cyprios, alios ab inferis excitas Furias, nonnullos portenta ignorantiae, plerosque improbos uitiligatores, multos ineptiarum sarcinatores, plurimos odii & Calumniarum machinatores indignis prorsus modis uocauerat. In quibus si nihil aliud, certe moderationem desidero & grauitatem. Odi haec atque talia conuitia, quorum tam ingeniosus, quam foecundus, an facundus dicam, artifex est *Noster*. Reliqua quod antenus excusarem, nisi tanta eius in bonos iracundia exarsisset, nimiaque animum iudicandi licentia subiisset.

§. 4. Plura in promptu mihi sunt animi parum sedati argumenta. Sed illa nolo uulgare, ne arguendo faciam, ut a *satyrico nostro* arguar. Tametsi enim nullius rei mihi sum conscius, qua lucem oporteat uereri, tamen ab inuidiosa illa scribendi licentia eo magis abhorreo, quo minus libidinem & taxandi istud Cacoethes amo. Itaque non *Sarckmasio*, sed praecipiti eius iudicio aduersabor, nullo tamen in personam odio, nullo rixandi obtrectandique

ſtimulo accenſus. Non mihi procax ingenium eſt, neque impatiens quietis. Odia calumniis, calumnias odiis miſcere improbum inſuper uidetur. Vt merito oderim *Politicum Cremonenſem*, qui nomen eius picturis famoſis, & hinc inde conquiſitis probris laceraturum audacius iactat, quam cautius. Longe mihi alia mens eſt, & melius fortaſſe conſilii pretium erit. Depexum hunc ita reddet *Sarckmaſius*, ut, ſi recte ominor, *eum* ueſtigia terreant in poſterum. Exemplum enim uidi literarum, quo formam exhibet uindiciarum immodice falſarum, immodice aculeatarum. Nimirum hoc erit per libros infames, ad infamiam mutuo graſſari. Vereor, ne iis rebus fiat, ut & inſtinctorem mali Conſilii peniteat, & effectorem probroſi carminis aeternum pudeat. Ego Calumniis abſtineo, & Certamini ad Paſquinum me non immiſceo. Immiſceat ſe, qui uelit. Caſtus mihi animus, caſta mens, caſtus ſtylus eſt. Non delector calumniis, ne obterendis iis diſtineam *Sarckmaſium*, nec tam leuiter aureum tempus perdam. Quanto generoſius iudicaſſe accepi *Illuſtrem Seckendorffium, Ziticenſem illum Peireskium*, qui reprehendit in *Noſtro*, quae digna reprehenſione animaduertit, libertatem ſcribendi cum ſale potius, quam bile, aut intempeſtiuo quorundam aeſtu caſtigans. Ego ſequar tantum admirandae prudentiae exemplum, & moderationi confiſus moderationem a *Sarckmaſio* expectabo, nil cum iis commune habiturus, qui eum uel ſtatim diris deuouere, uel calumniis obruere ſunt aggreſſi. Nam ut illorum ſtulta pietas, ita horum immanis

in-

inuidia, & suffusus maleuolentia animus nimis manifesto literato orbi apparebit.

§. 5. Sed non uacat longiori uerborum apparatu tempus consumere & Papyrum. Quin potius ex dignitate instituti erit, intimas *eius* iudicii rationes excutere, &, qua usus modestia sit, in hoc uelutitranscursu dispicere. Quod dum facere adnitor, comiter eum excipiam, ne mihi suam deneget comitatem. Breuitate autem utar, ut & praeteream manifesta, & uitem superflua.

§. 6. *Conringio* rerum abs se alienarum studium exprobrat. Perinde quasi Politicus Theologi, Theologus Politici hostis sit & subuersor. Fallitur, si ita iudicat (*b*) tempestiuus ille censor. Sane ineptit, qui tanto Viro ineptias imputat. Caeterum, quod laudauerit *Conringium* non obnitor. Nisi tamen inanis conatus sit, laudare eum, qui satis omnium literatorum confessione laudatus est. Maior est *Conringius*, quam ut eum aut assequatur uulgus, aut capiat *Sarckmasius*. Ecquis uero has reprehendendi partes, tradidit *Sarckmasio?* Forte *Apollo*, in Nouo satyrico Collegio Praeses. Sed huic insatiabile istud carpendi Cacoethes displicet. Itaque obiurgasti eum, quem in prætextata ista aetate nondum potes imitari; uellicasti, quem uenerari debebas.

§. 7. Sed nondum audaciae modus est. Pergit in *Boeclerum* stringere calamum. Ego uero in ipsum. Quicquid enim ad huius laudes obterendas

(*b*) intempestiuus.

profert, ex odio profectum deprehendo. Quae muniendae sententiae affert, uerba sunt. Praeterea nihil. Exemplum Erroris *Boecleriani* si edidisset, uirum se ostendisset. Nunc, cum horum nihil fecerit, helleboro indiget, non argumentis. Quanquam non ausim diffiteri, inaudiuisse me, *Verianum illius Germanum* iam olim gloriatum esse de examine Commentationum Grotianarum edendo. Faciat, inueniet, qui respondeat. Laudat hoc opus *Illustrissimus Alemanniae Cato, Boineburgius,* studiis pacis Clarissimus Heros, & non modo tantis literis par, sed Mecoenas cum literatorum omnium, tum inprimis *Boecleri* maximus. Quod commendauerit *Zieglerum*, non miror. Quippe quem non potuit uituperare. Neque tamen hic ita desiderat laudari, ut alii reprehendantur. Nam si quisquam praeter summam doctrinam modestus est, certe *Zieglerus* est. De *Pufendorfio* credo, si impetum Neptuni sustinuisset, tantae molis censorium opus facile destructurum fuisse. Lebleio ut mortuo parcat, ipsa pietas ipsi persuadebit. *Schookium*, qui, dum uiueret, *Augusto Germaniae Achilli, Friderico Wilhelmo El.* carissimus fuit, & uel solis ad *Clapmarium* (*i*) notis iam diu aeternitati se consecrauit, aut laude afficiat, hortor, aut reprehensione in posterum abstineat. Sed enim uero facile est mortuo Leoni insultare. Quanquam mors uitam hinc abstulit, non famam.

§. 8.

(*i*) Vid. Sarckmasii Scholia.

§. 8. Mitto reliquos, & transeo ad *Spenerum*, de quo eo minus ingenue iudicat, quod suum Theologis dedit nomen. De quo Viro licet gratulandum sibi germania habeat, maluit tamen Gallis, quam populari, quam germano, quam tanto Doctori gloriae palmam deferre. Utinam uero meliora nos edoceat *Sarckmasius*, quam quae hactenus a *Spenero* edocti sumus. Nil enim prohibet, quo minus spectatissima Theologi pietas, cum solidissima rerum ciuilium historiarumque cognitione, possit conciliari. Hinc demum intelligo, tam multarum, si recte sentio, rerum linguarumque scientissimum *Sarckmasium*, inuidiae caligine suffusum nil intelligere uoluisse. Tam enim ratiocinatur imprudenter, tam colligit perperam, ut omnis paene modestia amiserit famam. Verum enim Vero id susque deque habeo, qui sciam, tantum suppetere ad historiae supellectilem *Spenero*, quantum uix sperare *ausit Noster*. Atque *eius Viri* tanta dignitas est, ut *Caroli Frisii* & *Boineburgii Heroum*, de quibus nulla aetas conticescet, Illustrissimorum fauore dignus prae aliis habeatur.

§. 9. Sed ut plenus acerbitatis fuit noster, ita nimis quoque immitem *Rachelio & Martinio Kiloniensibus* se præbet. Pro rationibus aculei, pro Sapientia linguæ prococitas est. Simul & de hoc *Thomasii* allegat judicium, quod ille se negat tulisse, imo cuius ne meminisse quidem potest. Audiui tamen illius famae ipsi non deesse Auctorem. Utcunque sit, iusto forte celerius credidit, iusto certo fe-

festinantius credita in scripturam redegit. Neque secius de *Burgoldensi* literatissimo & laboriosissimo pariter uiro iudicauit, cum iudicare aequius debuisset.

§. 10. Videbor officio meo defunctus, nisi restaret *Lentulus*, in incluta *Marpurgensi*, quem ita laudat, ut laudi potuerit abstinere. Nam non multo post ita in grauissimum inuehitur virum, ut in dicta uelim, quae iusto dicit acerbius. Satis ille habet, placuisse *Kunowitzio*, *Hassiae Soloni*, & Heroi pariter Illustrissimo, serae posteritati praeclare semper memorando. Ut *Illustrem a Dauber* praeteream, cui in tantis deliciis est, ut laudandi eius exemplum *Sarckmasio* iure meritoque prodere potuerit. Nihilo modestius *Sprengerum*, a laude alioquin & labore commendatissimum Virum, tractauit.

§. 11. Quam & inique de aliis senserit, uidebit, qui leget scriptum *censoris*. Nil addo monuisse contentus, ut hoc periculoso iudicandi conatu in posterum abstineat *Sarckmasius*, maiori erga literarum Proceres reuerentia. De me interim nil immodesti, nil mali suspicabitur, qui erga eum consuetudine magis, quam merito *ipsius* fuerim moderatior. Extremo rogatum uolo, ingenio ad modestiam & literarum utilitatem recte utatur, & futili censura abstineat manum. Eo nomine quam primum aliquid conabor, quo *eius* diligentia, haud tamen sine fruge, magis & magis prouocetur.

V.

V. ΥΠΕΡΑΣΠΙΣΜΟΣ

pro scriptis

CYRIACI LENTVLI:

Aduersus

Nouum Criticum,

IVDICIA DE POLITICIS CEREBROSO E PARNASSO PROFERENTEM

MARPVRGI CATTORVM (k)

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr. Anno MDC LXIX.

PRimum officium iustitiae est coniungi cum Deo, secundum cum homine: inquit *Lactantius Firmianus.* A quo iustitiae munere longe abit, qui pro Deo Apollinem, τὸν ἀπολλύοντα, secutus, mordaci stylo famam, alteram ingenuorum uitam celebrium prudentia ciuili uirorum lancinat. Tenebris hic ficti nominis & nebula tectus (tenebrionem uocarent & nebulonem, quibus non nimium uerecundiae est) praeterito Scriptorum uulgo, fama per Europam claros maledicentia arripit. Aliis ne guttam quidem boni nominis relinquit; alios ita laude a frontispicio aspergit, ut postica eductos insigni uituperio maculet. Sic Draco hominem interfectu-rus

(k) Ad exemplar hoc excusum est hoc scriptum Lipsiae. Curauit *Fickius*, estque uitiosissime descriptum. Excudit quoque Noribergae ad exemplar Marpurgense *Wolfg. Eberhardus Felseckerus.* Haec, *Cl. Gr.* exemplari meo adiecit.

rus amplexatur :- Sic ſcorpio, quem ore innoxio praeterit, cauda exerta enecat. Sed ut uenenis contra uenena pharmacum ſalutiferum ineſt, ita hunc ſcorpionem uulneri ſanando illinendum conteremus.

Primo in cenſendorum agmine ponit *Cyriacum Lentulum*: & palpatione in eum & flagellatione inſignis. Dulce temetum propinat : uirus occulte inſtillat. Sirenum hi cantus animam lethifero ſomno opprimunt: ſed non niſi aures patentes praebentium.

Voluit *Lentulus* hunc Nugatorem contemtu, ut merebatur, praeterire. Sed cum ab imperitis iactaretur, Opus eius poſtremae editionis (*l*) eſſe refutatum, his ſaltem opinionem eam ut eximeret, defenſionem ſui non eſſe negligendam cenſuit. Age Cacum hunc, fumo ſe defendentem, ſpeluncae latebris protractum, membratim diſcerpamus.

Cyriacus Lentulus acri, ut mihi uidetur, iudicio pollet, nec quicquam deeſt ad Orationis cultum) πεφίμωσο: bolum ueneno illitum *Lentulus* non appetit. Nec ipſe Chriſtus Daemonem, nec Paulus Pythonem, uera nocendi ſtudio promentem, ueritatis teſtem admiſit.

Plura fortaſſe legit, quam alius quispiam) Medium te conſtrictum teneo. Si multa legit *Lentulus*, ſi quae legit, acri iudicio digeſſit, ſi cultu orationis comſit: corruunt, quae in eius exiſtimationem mox torquebuntur, machinae.

Forſt-

(*l*) Apicem Ebrietatis. *Haec Gr.*

Forstnerus tamen & experiendo felicior & accommodandis exemplis longe ipso superior fuit.) Sibilum proserpens bestia mouere incipit: quo superstitibus aegre faciat, fato functos supra modum laudibus extollit. An non in mentem uenit illud *Velleii Paterculi*, Viuorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est? quod tamen uestibulo calumniosi operis inscriptum, protestatione facto contraria, in alienum a mente Velleii sensum torsisti. *Forstnerum* e scriptis eruditis nouimus, uirum tui dissimilem. Sed nec ipse ex aliena contumelia gloriolam unquam captauit, & tuum de se arbitrium repelleret.

Experientiam uero, prudentiae ciuilis nutricem, quod omnem *Cyriaco Lentulo* detrahis, nae tu aut uitam *Lentuli* ignoras, aut pueriliter ineptis. Peritum rerum Vlissem Princeps Poetarum in theatrum producturus, multarum eum gentium, maris & terrae sinuum, e peregrinatione gnarum fingit. Lentulus non fabuloso errore terris & mari crebro iactatus, multorum regum aulas lustrando, complurium gentium mores perlustrando, experimento nihil didicerit? Errat qui solis in dicasteriis, procuratoriae litis & priuatarum caussarum iudicii strepitu diem terentibus, imperandi artem aut iura belli & pacis nasci putat. Et *Forstnerus* reipublicae literariae scribendo, & *Lentulus* profuit : uterque e suo facto, non ex aliena ignominia, laudis messem ferat: imo uterque Dei , non suam, gloriam operando quaerat. *Berneggerum cur illi posthabeam, multae mihi caussae suppetunt,* Τίς σε κατέστησε δικαστὴν quis te

Con-

conſtituit iudicem? Extra Prouinciam tuam ius dicentem uterque repellit, uterque iniquum iudicem pronunciat. Nec ſe cuiquam in tui gratiam poſtponit *Lentulus*, nec ſe cuiquam ampliſſima merito praeferri deſiderat.

Caeterum Conringio *in rebus Ciuilibus*, Boeclero *in Hiſtoria Romana* Lentulus *noſter proximo ſtatuendus loco eſt.*) Quanquam uiros minime pudendae famae profers; negat tamen *Lentulus* ſe unquam cum iis de Loco, ut puerilibus in Claſſibus, diſputaſſe.

Parum etiam cenſeo abeſſe, quin in plurimis ad Ammirati *acrimoniam felicius caeteris accedat. In Tacitum dum commentatur, & minus aſcita dictione utitur, & diffuſius differit, & conuenientiſſime iudicat)* Veritas cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit. Lact. inſt. Lib. 2. Sed non, ut dicto, ita dicenti aſſenſum praebeo. Recedit, ut acriori ictu incurſet.

Verum ad lucem Iuris Germanici, quod publicum dicimus &c.) ſtatum Imperii Germanici ex incunabilis, id quod ante eum neglectum, aut non perſpectum fuit, ad Auream Bullam perduxit. Parcior fuit in rerum praeſentium deſcriptione: non quod oculis captus caecutiret, ſed quod de iis Operoſa & oneroſa extarent, *Limnaei* & *aliorum*, Volumina. Non enim eum actum agere iuuat: multo minus meſſem aliorum in ſuam aream conuaſare.

Eius de iure Belli ac Pacis opus infra magnitudinem Grotiani *iudicii eſt.*) Magnum ingenio & eruditione uirum nominas: Cui tamen multum

mag-

magnitudinis ex opinione uulgi accedit. Etiam qui non percipiunt mentem *Grotii*, etiam qui nunquam eum triuerunt, dictaturam ei in orbem literarium deferunt. Quid *Grotius*, quid *Lentulus* ueritate iudicii, sermonis perspicuitate, methodi facilitate praestiterit, oculi atra loligine non aspersi iudicent.

Stylum pulchra subinde imitatione expressit.) Nec *Grotium* sibi *Lentulus*, nec quenquam recentiorum, stylo formando imitandum unquam proposuit. Prodigium non est, aliquid occurrere similitudinis, in eiusdem aeui Scriptoribus, & qui eadem Romanae Maiestatis uestigia calcauerunt.

Saepe tamen aliquid ex sordibus asciti sermonis aspergit, & linguarum non semper ingenium satis recte discernit.) Si nihil in linguis *Lentulus*, hoc saltem didicit, διάβολον latine sonare calumniatorem שטן aduersarium, Dei & hominum sine caussa osorem: mendacem, & quidem in perniciem hominum mendacem, ex utroque fluere. Tu quo Apolline agiteris etiam atque etiam cogita, & ut eo libereris, precationibus & ieiuniis te macera.

In qua parte cum praeceptore Boxhornio *paria non facit.*) *Boxhornium* semel, xix iterum, publice legentem *Lentulus* audiuit: quem, si quid discere ab eo posse percepisset, frequentius audiuisset. Marpurgi demum, superiori anno coepit opusculum aliquod eius lectu non indignari. Ipse *Boxhornius Lentuli*, non admodum sibi familiaris, Augustum, qui tum primus foetus extabat, Contubernalibus suis serio legendum commendauit. Sed haec mitto: nec enim tam uilis est autoritatis *Boxhornius*, ut

 prae-

praeceptoris eius pudeat. Vllamne praeter latinam, & patriam belgicam, linguam calluerit, nullo mihi indicio innotuit. *Lentulus* non multis abhinc annis, ab Aula Dilleburgica exoratus, decem linguarum carmina edidit. In Scriptis editis adulterinum linguarum sensum, aut sordes ullas latinitatis, ne Zoilus quidem illi impingeret. Tam uerecundi Oris est Criticus, tam sui memor, ut eadem pagina *Lentulo* nihil deesse ad orationis cultum scribat, & crebram illi sordium illuuiem attribuat.

' *Apicem Gloriae Romanae, quem sic inscripsit, uix dixerim gloriae literariae fastigio conuenire.*) Nunc pleno hiatu rictum Draco, *Sapientiae Satyricae arbiter, Apollo infernalis*, pandit. Nunc personam, quam aegre hactenus texit, veram promit. Si in superiori Censura, quamuis fallaci, substitisset: bilem *Lentulo* non mouisset. Opus mole amplissimum, dignitate materiae nobilissimum, Nephelococcyx aggreditur: ut eo machinis occultis subrato, reliquorum aestimatio ruat. Nouus e Platonis adytis Gyges, annuli inuento mysterio, se aliis inuisibilem, sibi alios conspiciendos facit. Sed non successum semper habent scelera: si Gyges caede Domini, & adulterio pollutae Reginae, Regnum adeptus est: Cerberus e latebris infernalibus protractus lucem insuetam horruit.

Industriam tamen non reprehendo. In ordine uero & Cura multum desidero.) Perge Iudicium tuum ipse subuertere, praestantissimum opus non diruere. Curam ab industria disiungis, ordinem ab acrimonia iudicii. Sic ergo mecum collige:

Cu-

Cuius est non reprehendenda industria, qui acri pollet iudicio, cui nihil deest ad Orationis cultum, eius Apex gloriae literariae fastigio conuenit. *Lentuli* est &c. Minor est Noui Critici. Maior probatione non indiget. Conclusio ductum praemissarum sequitur. Iterum sic argumentare: In quo opere ordo non desideratur, in eo nulla est confusio, nulla tumultuatio. In Apice &c. Minor probatur. Quod industrie & acri iudicio conscriptum est, in eo ordo non desideratur. Minorem Censor suppeditat. Maior facili negotio probatur. Iudicii enim non exigua pars est Ordo: Imo iudicium ordo aliquando absorbet. Hinc *Stoici Graeci*, & ex iis *Cicero*, ex utrisque *Ramus*, Orationem disertam in inuentionem & iudicium tribuunt; manifesta Iudicii, pro ordine & Dispositione, acceptatione. Si nec *Cicero* huic *Critico* latine, nec *Stoici* graece locuti sunt; quaerat sibi alios in Parnasso liguarum interpretes.

Veluti primoribus labris attingit.) Si non expletum est tuum desiderium, fatere ignorantiam. Sin haec ipsa non ignorata tibi fuerunt, cur plura desiderabas? *Lentulus* multa tanquam uulgata praeterit: ne τῶ Διὸς κορίνθω nauseam lectori erudito paret. Non imi subselli uiris, altioris indaginis choro scribit. Si huius ingenium uiri perspicio, satietatem in pleniori Opere & fastidium incusasset, qui nunc ieiunitatem inuerecunde accusat. Si uastae molis opere fauces nondum expleo, lautiorem sibi epularum apparatum quaerat. Non mihi tales conuiuae accersuntur, qui, cum mensam conuiuato-

 ris

ris peruerterint, de paucitate ferculorum conqueruntur.

Adhibet etiam subinde uocabula, praeter morem Latinorum) Ὗς πρὸς Ἀθηναίαν ἔριν ἤριστε. Sus, quo dicitur, Mineruam. Nouissimorum uox, quo tu sensu ea in libelli infamis fronte uteris, eruditis non probatur. *Sarekmasius* nec latinum, nec graecum est: nisi forte *Sarcasmio* scribendum sit: quod *Sarcasmorum* fauces plenas habeas. *Albipolitanus* uox e Graeco & latino composita, sutrinam potius quam Parnassum olet. Tot tu naeuos latinitatis in uolumine Scriptorum Lentuli monstra, quod Ianua tua exhibet. Si quod forte rancidum uerbum occurret, e sequioris Seculo autoris allegati erit, non allegantis *Lentuli*. Nec Historicos excerpsit, nec compilator iure audit, qui testimoniis historicorum utitur. Iam tu homo Iuris Publici ignorantissime, aut inter carbonarios candidissime, Ius Publicum Historiae praecipue Originem suam debere ignoras?

Quae ex iure ciuili & Orationibus collegit, &c.) Collegeritne *Gothofredus* fructuosiora, incertum est: nec cum eo contendit *Lentulus*. Multis certamine Olympico currentibus, unus adorea coronatur, caeteri uituperii probris non asperguntur. Proemia laborum in medio posita sunt: sed ea ab agonotheta, praeconis praeeunte uoce, tribuuntur. Tu quis es, qui nullo certamine proposito, & brabeutae, & praeconis, imo gloriae alienae praedonis, partes tibi sumis?

Cuius in Senecam scholae.) Quorsum haec omnia

mnia? quibus cum ſcholis *Lentuli*, aut Locis communibus comparanda? Deinde, quae eſt iſta ſermonis ἀκυρολογία, quae Locos Communes per Scholas interpretatur?

In ſtudio compilandi Poëtas.) Quid tibi tandem eſt compilatio? in *Ciceronis* ad *Coelium* epiſtola lego, *Chreſti* compilationes: quod *Gothofredus* recte interpretatur, *Chreſti* furta. Vicino ſignificatu frater *Tullii*. de petitione Conſulatus: Caupones omnes hic compilare per turpiſſimam legationem maluit: apertius ipſe *Tullius* quid ſit compilare declarat: Conſulem, exercitum, prouinciamque compilarit; & propter impudentiſſimum furtum aufugerit. In *Verrem*, Lib. I. Tune, homo alienae famae furaciſſime, *Lentulum* alicuius furti, & compilationis inſimules? Cuius ille poetae carmen pro ſuo unquam uenditauit? aut cuius Poëſin furto unquam ſubduxit? Adeone tibi omnis frons periit, ut nihil oris tibi, niſi ad conuiciandum ſuperſit? Dices forte, ex uulgi Germanorum ſenſu, non ex antiquitatis Romanae frequentato uſu, uocem compilandi te capere. An ergo latina te *Lentulus* doceat, ea mercede, ut eum praeter morem latinorum loqui ſpargas? ſaepe tibi praeter morem Latinorum loqui *Lentulus* uidebitur, ſi latiniſmum ex ignorantia ſeculi, & putidis Germaniſantium lacunis, aeſtimes.

Quae ad Ius Pontificium annotauit.) Plenam in Ius Pontificium commentationem Iurispublici deſcriptio non exegit, ac ne admiſit quidem. E Sylua iuris, quod Canonicum uocant, arbores *Lentulus* ele-

Ecclesiastici, si sacrorum & sacerdotum ordinem in iure publico cosideraret. Nonne uides, homo oculatissime, Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistere? Oculos uel ad ipsa digestorum principia aperi, & me uera differere fateberis. Quod si primus in iure publico *Lentulus* exegit, quod instituti promissi fuit: aliorum ante eum aut negligentia aut rerum sacrarum ignorantia, aut historiae denique inscitia, culpa *Lentulum* non coinquinat. Si plene officio functus *Lentulus*, ad caussam dicendam in ius rapitur: quanam manuum iniectione traheretur, si quid ex debito opere resecasset?

Existimationi in posterum melius, quam hactenus factum est, consulant.) Uolumine, de statu Rei Romanae, in lucem edito, non male existimationi suae *Lentulus* consuluit. Quod ante eum nemo mortalium, ius publicum imperii Romani, ab ipsa urbis origine, ad nostra secula continuata serie perduxit uel ipsa operis inscriptio legatur, tractationi conueniens: Et qui idem praestiterit, ex omni antiquitate, & ex recentiori memoria, proferatur.

Laude interim sua nequicquam fraudauerim) Mallem eum omni laude fraudasses: Sic & quim hostili in eum animo feraris magis constaret, & impudentia tua esset insignitior, Δῶρα ἄδωρα sunt hostium dona: & hostile praeconium est uiro laudato nocentius. Ut haec ipsa laudatio, monstri cauda non bene absconsa uituperatione terminatur. Quin tu aliquid ipse molire, si nominis tantum est desiderium: aliquid sublimioris ingenii orbi literario infere, quod legentes in admirationem sui rapiat. Bono-

rum insectatione nunquam inclaresces: & *Thersites* alter fortassis aliquando uapulabis. Fors & religionis diuersitas, non exiguis in tuo scripto indiciis, nigriorem tibi *Lentulum* depinxit. Sic grauius hallucinatus fueris, controuersias Theologorum in Parnassum Politicum transferendo, quam, qui de sacerdotibus in iuris publici stadio egerat, impegit. Quando ita fert seculi labes, sit aliquis Romano Catholicus, sit Lutheranus, sit plene Reformatus: factionum odia in uitam ciuilem ne congeramus. Sin nullo partium studio abstractus, sola animi uirulentia, aut amarulento inuidiae succo traheris, uitae tuae conditio est multo desperatior. Neminem posse ferre ingenio superiorem aut parem, omnes aut morsu laedere aut sibilo fugare, ut solus uacua in arena regnes, Basiliscorum est. Ipse, quanquam serpentino stridore a te afflatus, tale tibi in solitudine regnum, tale animi uirus non imprecor. Caue *Apollinem* caue, cui opus tuum sacrasti; caue supremum sapientiae satyricae arbitrum. Nunquam ille boni quicquam suggessit: nec boni quicquam in omne aeuum suggeret.

Postremo uel existimationi tuae inposterum melius consule: ne si quid mordacius in quenquam uibraueris, cogendis prodere autorem bibliopolis, e latebris in lucem cum ignominia protraharis. Sin hominum iudicia nubis uelamento eluseris: caue, credas futurum, ut omnium creatoris aut lateas cognitionem, aut potestatem effugias.

VI.

VI. *PETRI NASTVRTII* (l)

IVDICIVM

Dè

IVDICIIS,

Quae

In nouiſſimos Ciuilis Prudentiae Scriptores exercere uoluit

EVB. THE. SARCKMASIVS.

Acceſſerunt duae Epiſtolae eiusdem Argumenti.

COLONIAE (*m*)

M DC. LXIX.

Q. B. F. F. Q. S.

PRincipio ſcias uelim, *cordate Lector*, quicquid huius eſt, quod legis, non iure tantum, ſed & optimo ſcriptum eſſe. Etenim non ſolum pietate & uſu publico flagitante, ut propediem perdiſces; ſed & cum bona uenia ſuperioris, & cuius intereſt maxime, ſcriptum eſt. Non eam iudi-

 can-

(*l*) i. e. BOECLERI. *Deckero* quidem eſt *Io. Ludouicus Praſchius*, ſed falſo. Vid. *Placcius* l. c. n. 1883. p. 458. & *Sarckmaſius* in Notis, num. VI. Autor *ciuilibus officiis negotiisque non perfunctorie eſt adhibitus, fuit in concilio legatorum & Virorum illuſtrium* V. *Eius* Iudicia de Iudiciis &c.

(*m*) Trebeccorum i. e. Argentorati. Quam Auguſtae Treboccorum nomine iam ante, in Comment. ad Nepot. p. 3, inſigniuit *Boeclerus*. *Scholion eiusdem Cel. C. Gr.*

candi poteſtatem nobis, ſumpſimus, ut quidam, ſed accepimus. Quippe licentiam fecit is ipſe ſcriptor, de quo ſcribimus, ſicut ille de ſcriptoribus ſcripſit, uir hercule magnus atque prudens, ut qui *Eubuli* nomen ſibi uindicet, idemque ſummus rei literariae h. t. arbiter. Nec exemplo tantum fecit (quamuis hoc utique ſufficeret) ſed etiam diſertis uerbis. Ecce ſummam priuilegii: *Non refragabor*, inquit, *nec me anget, ſi eadem, in me, qua ego in ipſos, cenſoria uti uirgula coeperint*. O uirum aequum & fortem! o modeſtiam inſperatam! ſubjicit ſe cenſurae cenſor, & Magiſter uirgae. Ecquis iam dubitet citra ullam iniuriam (quippe quam deteſtatur) laeſos, quos laeſerit? cum & ipſe notam cenſoriam haud refugiat. Quis enim neget, merito paſſurum colaphos honeſtum uirum, ſi & nebulo (immo uir, inquam, honeſtior) pati ſit paratus?

Equidem ſunt, qui putent, miram hominis ſagacitatem prouidiſſe, quam ſit lata facti conſequentia, & metuiſſe ſuum exemplum: cum praeſertim nemo iuſtius pertimeſcat tempeſtatem, quam qui concitauit. Neque enim commiſſuros uiros doctos, ut inauditi ac indefenſi ex arbitrio calonis perire, & uiui uidentesque exenterari impune uelint. Igitur ne imprudenti dolentique accidere uideretur, quod conſcientia denunciabat, ultro largitum, quod prohibere nullo iure poterat. Emuniuiſſe tamen opus, antepoſitis uocabulorum prodigiis, ut *Albipoli*, ut *Sarckmaſio*, ut *Theosdato*: quorum formidabili aſpectu ſtatim a limine doctiores reiiceret. O iupiter centum peda, quanti eſt ſapere? Aliis e diuerſo pignus hoc

hoc uidetur hominis uel ſtolidiſſimi, uel longe impudentiſſimi, uappae quidem extra controverſiam. Quare enim, ſi noluerit latere, tantum adierit famae periculum, ultra arrogantem libertatem ſaepe procax, & quamuis ſub diuerſa ſpecie malignus zoilus? ſin uoluerit, ut quidem ſimulet, cur tam ſententioſe ſuam inculcet manſuetudinem? ut ſi quis praedo profugiat --- *ultra Garamantas & indos*, relictis poſt ſe literis, ad eundum in ius ſe quidem paratiſſimum. Aut cur non accuratius ſaltem fefellerit? nam & illis ipſis uocabulis, quae pro larua ſibi ut plane conuenientia induat, ſuo & loci nomini alludere uideri; & plura ueſtigia per ipſum opus ad belluae ſpeluncam ducere. At non Cacum, qui ſimiliter truciora incendia uomuerit, eo dementiae progreſſum: cuius aſtu uerſis uiarum indiciis,

Quaerentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant. Immo ſcriptoris uerum nomen prope citius aures, quam ſcripturam febricitantem oculos ſubiiſſe. Quibus rebus quid aliud, quam uel hirſutas & aequo longiores auriculas nudari, uel infamiam (*cuius apud prodigos*, ut ille (*n*) ait, *nouiſſima uoluptas eſt*, & cuius laudem olim quidam ſcripſiſſe memoratur) ultro affectari? nec eam tamen fortaſſis absque omni gloria creditam fore: quatenus, ſi quid in ipſum ederetur, iactare poſſet, ſibi id datum, & ſe dignum habitum, in quo uiri docti molarem frangerent. An eo factum, quoniam, ut *uitellius* dicebat: *ἡδίω τὰ μετὰ κινδύνων ἐρωτικά* *dulciora furta cum peri-*

(*n*) Tacitus Annal. XI, c. 26.

perunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem. latissime euagandi sibi uiam faciunt: & ubi semel recto deerratum est, in praeceps peruenitur. Nos tamen, ne inimicum nobis faciamus tantum magistellum, concesso iure parcius utemur. Breuiores erimus modestioresque, quam necesse est: ac ne eam quidem potestatem, quam ipse offert, totam usurpabimus. Non tangemus personam, & praesentiam famae derogantem, aut uitia occulta, dubia, tanti non futura, ad rem nihil pertinentia: intra limites rerum atque scripti, quod procurandum suscepimus, persistemus. Nec, quo ueritas non pertingit, mendacio grassabimur, aut cum laude tribuemus illi, quae dixisse nusquam reperiatur, & fors dicere nollet. Probabimus etiam, quae dicemus: nec erit nobis uoluntas pro ratione. Nam ut Respubl. leges, sic parnassus rationes exigit. Atque inprimis uiri nomini, ipso uel inuito, parcemus: licet ille, quos in ordinem redigit, diserte nominet, ac in medium longe recusantes protrahat. Id adeo nulla aemulatione aut liuore, puta ne assuetum tenebris nomen, & alto scholae puluere sepultum, edendo illustretur; sed quoniam ipsi expedit. Nam uerendum, ne, si in aperto iaceat, quis istos ludos dederit, aut quis ille homuncio in tantos homines (quorum ipse, magnitudinem & uiolentiam agnoscit) consurgere haud uereatur, & unus omnibus congredi.

Ense leuis nudo parmaque inglorius alba; misellum obiter conculcent elidantque, ut leo ranam, aut pygmaeos Hercules. Non e re semper est *magnis*

nis inimicitiis (*q*) uelle *clarescere*. Quid quod (ut sunt ingenia) in illud nomen eius, ubi primum audierint (modo lingua tam spatiosa & ualida utantur, ut pronunciando sufficiant) frigida multa uolent ludere.

Dignum esse patella operculum: apparere, natum plane hominem ad ineptias, & confusionum monstra, & culinam potius, quam museum: & alia his, credo, iusicetiora. Breuiter, lateant, quae latent. *Bene qui latuit, bene uixit*. Quod haud falso iactari, *Sarckmasinus censor* multis iam persuadet.

Et quoniam uidemus, totam naeniam in duas partes discedere, in ea, quibus certos τῶν πολιτικῶν scriptores uidetur ornare uel purgare, & in ea quibus collutulat ornatos; *regis ad exemplum* nos quoque & laudes ipsius, & uitia lustrabimus. In laude ponimus, quod fatetur, nullo odio, uel *suspicione odii* adductum, ut scriptoribus rerum ciuilium stigmata imponeret, simulque ipsorum controuersiam unam & alteram obiter definiret. Quid enim causae, cur odisset, incognitos sibi plerumque, aut cognitos certe beneficio? Amore scilicet potius tantorum hominum, & sapientiae ciuilis, quo magis haec in posterum excoleretur, talia coactum edidisse, credibile est. Deinde testatur, nec *inuidiae aemulatione*, nec *cupidine ambitionis* (quae est Tulliana hominis facundia) se censorium hoc tribunal occupasse. Nam & horum causas procul habet. Nec inuidet, nec inuidetur. Nec inuidia statim est, uno & altero mo-

(*q*) Tacitus II Hist. c. 53.

modo uiris praealtis detrahere, & caſtigare luxuriantem famam, dummodo uiciſſim aliquid ſtultitiae tuae illis addas: nec uidetur ambitio, inuadere eorum locum, & iudicis in iudices munus. Quid ergo? ad diuinas cauſas, puto reſpiciendum eſt. Biceps Parnaſſus cogitandus, in quo ſomniaſſe ſe noſter ſomniauit. Inſpiratum a Numine tam probum atque felix conſilium; ab eo ſcilicet, quod ſolet talia, ab *ſapientiae ſatyricae arbitro, Apolline*. Nam ad huius ſacramentum noſter tranſiit: ut intelligas, cum ſe *Theosdatum* (ex *Theosdoto* corruptum) Graeculus appellat, cuius Dei munus admiratorque haberi poſtulet. Sed adulatorie forſan, certe poëtice, hoc decet accipi. Eruditio quippe nimia, & profundâ ſapientiae uorago, expreſſit homini, quod fecit. Omnes ita crederent, niſi ipſe reclamaret. Eas enim partes ſibi impoſitas narrat ab Apolline, *quas ſapientiſſimus quisque*, ut opinatur, *declinaret*. Quam bene uero feciſſet, ſi ſuo iudicio eſſet uſus! (Nam cum poſtea dicit, *nullam rationem talia prohibere*, alienum ſcilicet iudicium ſequitur.) Nunc & Apollinem, talia per ſomnium mandantem, quae ſapientiſſimus quisque declinaret, & Scribam eius, in talibus ſuperſtitioſe obſequentem, *amore* ſcil. *parendi* (ſeruum natura diceret Philoſophus) ſtultum uideri neceſſe eſt: & emergit tandem genuina huius incepti cauſa, ingenii claudit as. Quorum omnium confeſſio, nec extorta, nec contorta certe ingenui hominis argumentum eſt. Et hoc unum in *Saturio* noſtro laude dignum reperi.

Ad uitia pergenti, ingens aperitur ſpatium. Sed

in

in angustum contrahendus est sermo, & per saturam quaedam (pace tamen uiri, quem nollem offendere) repraesentanda. Primum ac praecipuum, quod in tanto critico desideratur, est iudicium acre, firmum, & exactum, in scriptoribus colligendis, distinguendis, comparandis, collocandis. Heu quam aegris oculis, si non felicitatem illorum, certe cutem introspicit, ex libris perfunctorie lectis, ex rumusculis temere collectis! Reticet memoranda, ut aliena, reticenda memorat cumulatque. Quae falile omnes sciunt, aut non curant, inculcantur sedulo: de ulterioribus per omnia & singula altum silentium. Nonnulla excerpuntur tantum, & excerpendo polluuntur. Scilicet tuta umbracula & *secessum* amat: & si quando euehi cogitationes suas inconditas iubet, tam confuse, praue, immature, absurde, & inique fere sentit, ut antiquum illud iudicium reddi putes, quod factum est de cantu cuculi & lusciniae, praetore asino. Immo, ne quod sanae mentis uestigium appareat, secum ipse praeliatur. Videas concurrentes inter se symplegadas, id est, orationem dantem, quod esset ademtura, ac reddentem quod ademerat; denique, si proprius consideres, uiros indubitate summos doctorum numero prorsus excerpentem, ut nugatoribus, & commentariensibus inserat. Analytica demonstratione haec & multa plura firmari singulatim possent, si hoc quidem aequor ingredi placeret. Et praeterea nos non sumus *Apollini a secretis*: nec *Minerua nobis dixit in aurem*, quae imperatura esset scripto publicare. Liceat aliquid *Sarckmasio* quod hominibus de plebe & iunioribus sapientiae alumnis non licet,

licet. Interim caute ac pie fecerit, qui nihil hodie ei crediderit. Non eſt enim opus, ut *Apollineis* vatibus habeatur fides.

Illud exquirere fas ſit, cur omnino, uel ex qualibet occaſione, & priuati & publici ſcriptores iuris, non ſecus ac politici, obtorto collo trahantur? cur *Monzambano* locus in hoc ordine, & mox alius *Puffendorfio*, ceu diuerſis, data opera tribuatur? an ut latior eſſet ſaeuitiae campus? an ciuilis forte ſapientia & prudentia legum, & doctrina iuris uniuerſalis, & notitia ſtatus Germanici, & hiſtoria, & aliae quoque diſciplinae remotiores, ſublato pariete intergerino, idem puluis factae ſunt? Certe (regrediamur modo in memoriam) *iudicia de ciuilibus prudentiae ſcriptoribus*, non plus minusue, ſunt recepta. Iam uero, *eſſe quid hoc dicam*, quod iudicia de ſcriptoribus minatus, prout dictum, uitas quandoque texit, e critico repente hiſtoricus, interdum & hariolus? & quid non? uel quod de iisdem narrans, quae in aliis diſciplinis eſſent conati, bene aut ſecus, mox cum de *Diſſertationibus Politicis* diſſerendum, quod tanta patientia expectabatur, improuiſo receptui canit, *ſeque ex oculis auertit & aufert?* ut ſi quis pollicitus de Metaphyſicis iudicium, multus eſſet in percenſendo, quae in Logicis, Phyſicis, aliis, uarii doctores prodidiſſent; ubi uero ad Metaphyſica & apicem uotorum uentum, reuocaret eum intempeſtiua malignitate *nunc augur Apollo,*

Nunc Lyciae ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo
Interpres diuum - - -

ut ſola remanerent aliena. Sic deludenti corui hiantes,

tes. Erat & curiosus quidam qui explicatum sibi uellet a scriptorum *nouissimo,* quot annnorum ambitus scriptores nouissimos, quiue regionis tractus *domesticos*, & an solos uiuos, seclusis mortuis, comprehendere deberet: ut sciretur, an neminem praeteriret uel intruderet censura egregia (sicut multa ex praesentium scriptis essent praeterita, multa infracta) an item per occasionem tantum, an seorsum, & iusto loco fuerit tradendus & quae sunt similia?

Perge ira, perge: & magna meditantem opprime. Qui cum fateatur, *literatorem a prudente, scholam a uitae negotiis differre*; quae (malum) intemperiae ut a schola literator de prudentibus rebusque ciuilibus iudicare sub formula ausit? ut qui ista legat, clausis naribus, asseclam quendam aulae prompsisse credat. Si pro deridiculo illi est, *Theologus politicum referens*, cur refert? Si criticum genus *tineis & blattis* laborat, non bono publico, ut clare rudit, cur tanta gaudia tineis affert? cur se toties sub aliis nominibus crudelis lancinat? cur otio & literis abutitur, & officii fines transilit? An haec praecipit Theologia, &, qua ille gloriatur, conscientia? Longe alia quidem tradunt libri uaticini, si quis esset, qui curaret: & ipse ex medio legum ciuiliũ nescio quo suggerente: *Culpa est immiscere se rei ad se* (r) *non pertinenti.* Si quem uel concessae dotes, uel muneris ratio, uel imperium principale, ad scribendum inuitat, obsecro, quid id ad Magnum Moscouiae Ducem? An hoc de illo merito est regina artium, pru-

(r) l. 36. ff. de R. I.

prudentiae ciuilis, & qui de ea optime meriti? his laureis, his statuis decorantur? his excitantur stimulis? An ideo diuinitus nobis contigerunt disciplinæ, ac dotes eximiae, ut *Sarckmasii*, & hoc exemplo aliorum, immundo contactui pateant, ac deinceps in cautis aemulisque, & praesertim auditoribus (pronis enim auribus talia accipiuntur, etiam a melioribus & gnaris, & infatuari multis dulce est) ludibrium debeant? ut inter uiros doctos inuidiosa comparatione discordiarum & irarum semina iaciantur? Equidem augurari cogor, ni mature occurratur malo, a Politicis ad Theologos (uti sane coepit) uel potius a Politica ad Theologiam, & quicquid sancti eximiique habent literae, contagium peruasurum: *ne uidelicet uel domi uel foris, quisquam huic sorti se exemptum possit gloriari.* Neque enim tam Politicorum, quam Politices certe iugulum petit, doctoribus eius, summis infimis, promiscue nota publica insigniendis?

- - & quisquam numen Iunonis adoret
Praeterea? aut supplex aris imponat honorem?

Quis uirorum, non dubie literatissimorum, usus est unquam simili licentia? Ne me celes, quaeso. An, quia nouam, ideo & bonam credimus? Satis foret immodestiae, si cui simili priuatim & absque sannis talia aliaque exciderent. At hic bonae famae sicarius (ptaecor, Domine, ignoscas uerbo: commorat me nonnihil, quod eam popularibus sortem obiecisse te crepas, quam effugere sit gloria) hic, inquam, bonus uir disseminat uoce publica, praeconis instar, ut omnes a furno redeuntes sciant, & quidem scripto,

ut memoria maneat, si qua fata sinant, & censurae iungit satyram. De *Monzambano* censet (rationem non quaero) *satyram* palma ipsum fraudasse, quam ex *nouitiis* ingentem ferre potuisset. Itane de Satyra tu censes in Satyra. Sed hoc non est mirum, quia tu *es* magnum uirum.

Parum dixi: & censura & satyra peius quiddam inuentum est. Nam censura, optimis ac peritissimis in republ. debitum munus, & a rep. in subiectos rite conferendum, discernit homines. Laborantes fama uarie castigat, florentibus parcit, in eosque plane cessat. Ac hic tyrannus, ipsius iudicio probatissimis notam censoriam inurit, & acrius quam aliis incumbit: & quamuis ea, quae iudicat uitiosa, *tanti non sint, ut propterea summum in rebus ciuilibus partam famam suggillare cuiquam integrum sit*; tamen, quasi esset integrum, credo ueritus ne palpari uideretur, si non flagellaret, profert ac suggillat; causatus etiam, *nostri seculi more* id fieri. Mentior, si non fas & pudor & numen & conscientia merus *Theosdato* ludus sunt. Ecce, defunctorum manibus parcendum putat, qui nihil sentiunt, de quibus iudicia uulgari non omnino moribus aduersatur, ideo haud parcendum uiuis, qui sentiunt. Nec defunctis tamen aliter, quam uiuis parcit; ea deligens, de quibus haud sane glorientur, & mox, consumta libidine, pius ac sententiosus. Quid tibi uidetur de isto homine? Necdum satis: copulandi erant (nam institutum suum, ne falleremur, ipse enunciauit) Catoni Satyri, noua & egregia mixtura. Speculabimur tamen paulisper, si molestum non est, quam bel-

le

le ſaltent iſti Satyri. Iam primum Satyra, ridens uerum dicit: noſter fingit ſibi uitia, & ſemet aliis ridendum bibendumque propinat. Dicit (qui uult audire, quod omnes Plautinos ſales ſuperet, auſcultet) dicit, *defendiſſe eum ius faciendi hominos proprios* (tanquam id in lite fuiſſet) cuius *vindicias* ſecundum libertatem quorundam, & quidem *uindicatas*, ipſe in margine nominat; ut inde colligat factum odioſum. O Satyriſtam! Quid reſpondebit uiro, de impacto ſibi praefaricationis crimine conqueſturo? & quid illi alteri, qui huiusmodi ius defendit? & quid illi quoque, cuius cauſam in defenſoris reprehenſione *Sarckmaſius* damnauit? Nimirum Iouem lapidem iurauit, nunquam ſe uidiſſe ſcripta illa. Sic iudicandum Apollinis afflatu de ſcriptoribus, ſimulque de principibus maximis. Porro ſatyrae certus & utilis finis proponitur & cuſtoditur: huius ſatyrae nulla apparet ratio, nullus certus tenor. Quin deterret potius a ciuilis prudentiae cultura, quam allicit, quod deberet:

- - ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa uelint ut diſcere prima. (s)

Lucillius, & huic affines ueteris comoediae *ſcriptores*;

Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabunt.

Noſter e contrario ſaepicule.

Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas,

 Lu-

(s) Hor. L. I. Sat. I. v. 25.

Lucillius, *Horatio* laudante, erat *numeris facetus*, & *aemunctae naris*. Per fidem, quisquis intellectuales, miserere inscitiae nostrae, & in Sarckmasini satyra uel micam salis iudiciique ostende. Satyra non professo impetu, & nudo uelut capite, nec in quosuis, incurrit: nec una strage totum aliquem reip. ordinem inuoluit: non inhiat uitiis mediocribus & paucis: immo id ipsum uitium erit, pro conditione mortalium, si, ut *Flaccus* quoque sensit, princeps satyrae.

Egregio inspersos reprendas corpore naeuos.

Nam quic sic reprehendenti satis credat? deteriori de meliore? Atque adeo uarios *Virgilios*, *Octauios*, pura fide laudat, absque labis aspergine, haud ignorans, quaedam in sese deformia, in certis corporibus seruire formae. Sunt &, quos uereatur, quibus arridere, & pacem pro uirili sartam tectam uelit. Denique, ne confundas satyram cum famoso carmine, Satyricus est, *si quis*

Opprobriis dignum lacerauerit, integer ipse,

& si uitia magis, quam homines sibi proponat. Quae omnia nulli inficianda, quam generose contempserit meus homo palam est. Cumque & in honestatem, & in utilitatem & facultatem maxime, toties in hoc negotio caput inpingat, ac plane frangat; tamen, ubi spiritum collegit, *Nulla*, inquit, *ratio est*, *quae talia prohibeat*: sic enim certe opinor. Et tamen multo peiora in animo retinuit, quam euomuit. *Nefas est*, ait, *omnia*, *quae sentiam*, *loqui*. At enim *amarus cibus est ueritas*. Ideone eam loqui nefas? Deinde, cur usque eo, & passim alias cibum ita amarum apponis? aut cur *studio ueritatis* iudicia illa tua impu-

putari uis? Quod ne diutius mihi ingeras, tuis tibi uerbis reſpondeo, tibi inquam: *Pauciſſimi ueritatem capiunt, pauci cupiunt, plurimi oderunt.* At enim *in libera literatorum Rep. liberas linguas eſſe oportere*, ſcribit *Suetonius* in *Auguſto*. Equidem ego ita me hactenus inſtruxeram, ut quaſi cum olente ſcholam, & firma ratione deſtiuto, agerem. Nunc quia tanta inſurgit ratione & rempubl. literaturae miſcet, *paullo maiora canamus*. Primum omnium, codex meus nihil habet de Rep. literatorum: nec *Auguſto*, ſed *Tiberio* tyranno (cap. XXVIII.) eiusmodi dictum tribuit. Papae, mi homo, ubi erat mens tua, & *Apollo*, cum haec ſcriberes? Dic uero ſodes, cur & hiſtoricos contaminas? cur das, adimis, mutas, uris, ſecas, ad libitum? ſed hoc non eſt mirum, quia tu *es* magnum uirum. Nec tamen expoſui, quam ſcite *Tacitum* ut legiſſe uideretur) teſte m laudauerit. Interim (quo magis intelligat, cur ecum habitare debuerit) eſto, dixerit tale quippiam ſ ut certe fecerit *Auguſtus* apud *Suetonium*. An hoc dicto legem praeſcripſit, ut omnis arcani uiolatio; omnis omnium reprehenſio, dum uerum dicas, aut credas, permiſſa ſit? ut omnia linguae peccata tollantur, excepto mendacio? etiam in iudicio conſcientiae? ut cenſurae munus ſit promiſcuum, id eſt, nullum? Non ergo ſentit pecus, quo ſenſu dictum id, ciuilitatis ſimulans, accipiendum? Non legit in *Tacito* ſuo (t), *quamuis egregiis imperatoribus modum libertatis placere?* Nam & in rep. liberrima, & literaria non cuiuis quaeuis dicere, nedum ſcri-

 be-

(t) Hiſt. L. 4. c. 6.

bere, fas est aut decorum. Aliter quid opus legibus & institutis? Ponenda est libertas, quae stet cum republica, non quae eam tollat. Sed nempe *libertas (u) & speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum seruitium & dominationem sibi concupiuit, ut non eadem ista uocabula usurparet.* Ac *falso libertatis (x) uocabulum obtenditur ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Iactauit olim musca:

In capite regis sedeo, cum uisum est mihi.

Sed quid ad hoc formica?

Superba iactas, tegere quod debet pudor.

At ut musca non impune illud facit; sic praecepta legum & artium sui contemptum, *Sarckmasio* teste, uindicant. Quid multo interpretem dicto demus ipsum dicti auctorem scriptoremque: *Aduersus* CONVICIA, *malosque rumores, &* FAMOSA, *de se ac suis carmina, firmus ac patiens, subinde iactabat: in ciuitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Annon ergo, si conueniens est hic locus, scriptum *Sarckmasii conuicium & famosum carmen* credi necesse erit?

Exequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem tempus est. Nam quam praue & contra se ipsum uindicauerit sibi locum *Chremetis Terentiani: Homo sum, humani nihil a me alienum puto,* nil prorsus dicere attinet. Satis est semel studio pro-

(u) Hist. L. 4. c. 73.
(x) Annal. L. XI. c. 17.

prope nimio, *Chremeti* exequias iuisse. Adhuc ergo nihil rationis in eius scripto conspicitur.

Quid igitur tandem de foetu isto, sic iam deplumato, iudicabimus? quod nomen, quamue sortem ei assignabimus? iudicent alii, quod uolent: laudent etiam per me, qui nihil uident. Ego non possum amplius dubitare, esse malum quiddam, & portentosum, & famosum omnino carmen liberali facie (non, quod auctor obtendit, *animo*) eoque deterius, & ad minimum bestiis obiiciendum, blattis ac tineis, ex lege nostri *Lycurgi*. Qui rectius sane fecisset, si loco laboris huius, utique non necessarii, quemque a Germano profectum haud quaquam confitendum est, uel cucurbitas pinxisset. Adeone trita iam omnia & exculta, ut nihil uel in sacris, uel (quoniam huc propendet curiositas) in ciuilibus hiet, quod impleri desideret? unicum hoc argumentum satyricae sapientiae superfuit? Sed cui hæc dico? aut curlessimae scripturae excutiendae tantum chartae & temporis insumo? age ergo, *satyrisce*, ad te nunc conuertor. *Quo diuersus abis*? siste fugam, inquam, & percipe, quid loquar. Si quis stereometriae inperitissimus, in complurium ciuium honestissimorum cellas petulante ui irrumpat, &, quantum uini ac cereuisiae doliis contineatur, digito metiri tentet, inde in forum ruens, de opibus ac penuria cuiusque pari maledicentia publice declamitet; an iniuriam, quaeso, credis accepturum, si abstractus foro digne multetur, & aliis exemplum fiat? Quandoquidem igitur censoria mihi munia in te concedis, qui simillima commisisti; BONVM FACTVM, meri-

ta ignominia, quam aliis intentaueras, te noto, ſenatu & Conſulatu Reip. Literariae quem per furorem inuaſiſti te moueo &

Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras,
Silentium deinceps perpetuum in his atque talibus ſerio tibi iniungo. (*y*) Si recalcitraueris, aliae grauiores poenae, in imperio receptae & ſancitae, te docebunt, quaenam lex talia prohibeat: & larua ſimul atque pellis, ſicut *Marſiae*, tibi detrahetur. Dixi.

EPISTOLA I.

Ad Generoſiſſimum *D. B. P. F.*

Quid rerum his locis geratur, ut ſtrenue perſcribam, ſoles mihi identidem imperare. Subſtituam in meum locum alium, qui hoc fungatur officio. Libellus enim, qui cum his literis ad te uenit, *Catius* enarrabit iurgia *Codri.* Scripſit eum *T. Antimorus*, notus Tibi, nec ingratus amicus. *Sarcmaſius* quid hominis ſit, iam noſti. Communi *L. &. I. W.* quo elogio *Schurtzfleiſchius* ille audit homo, uana opinione eruditionis infatuatus, ingenio maligno, & inter imperitos doctus, inter doctos ſtultus. Exempli peſſimi facinus, quod inſtituit, putant nonnulli, non ſine occulta inſtigatione aliorum patratum. Sed nec inſtigatoribus quisquam ſanus paruiſſet; & mihi parum credibile uidetur, bonos magnosque uiros tam fatuo impudentique ſcribendi genere ad alienam famam ſuggillandam uti uoluiſſe. Præcipuum ſine dubio incitamentum homini fuit χιμοδοξία quam ipſi

(*y*) Vide notas Sarckmaſii aum, VI.

psi insatiabilem tribuunt. Si quid amplius scire cupis, non deerunt Tibi, quos illis locis habes, uiri docti & Tui amantissimi. Vale N. 28. Febr. 1669.

T. G.

Obsequentissimus seruus.

V. M. O.

PARNASSVS INFAMIS. (z)

Euolauit nuper ex Mysnia (*a*) famosus libellus *Schurtzfleischii* cuiusdam, *Corbacensis* pridem, *exrectoris*, hominis reuera studiosissime nequam, qui uanissimae arrogantiae & ambitioni explendae, non aliud ad famam iter sibi patere existimauit, quam per infamiam illustrium uirorum. Quos licet in solidum ignoret; allatrare tamen constituit *Sarckasinius* ille Caninum frendens, siue, ut Atticae elegantiae specimine se uocat, *Sarckmasius*. Nam caetera nomina ascita, non magis ei conueniunt, quam *Parnassi*, *Mineruae*, *Mercurii*, *Apollinis*: quibus uocabulis, quae alias significari solent, tam sunt *Schurtzfleischii* ingenio apta, quam est Asino Lyra, Musae albis accolae, uestram fidem! Hercules tuam fidem! Estne apud uos *Parnassus* tam infamis, ut omnia studia & opera *Parnasso* tribui solita in contrarium illic uerti, & in iniuriam commutari, uobis inspectantibus, Germania sentiat? an ibi erigitur tribunal, in quo iudex sine iudicio, sine officio, sine iure, dente Theonino, ueluti per furorem, fa-

(z) *T. Antimori.* Vid. Epistolam praecedentem.

(*a*) Saxonia.

famam alienam lacerent, & satyram scilicet moliantur, omnis satyricae sapientiae rudis & nescius? An Apollo uester asino exuuias leonis, aut morioni honestatis specimen imposuit; uti liuorem & iniurias pleno facco, quasi sub titulo doctrinae & nobilis mandati, longe lateque disseminaret? Magna fuit licentia, neque cuiquam bono absque discrimine probata, qua italus ille (*b*) miseram sibi denique ipsi perniciem attraxit. Sed erat tamen in eo ingenium, erat peritia rerum non exigua. At, qui uestro nomine in scenam prodit histrio, omnium & rerum & hominum inperitia laborat, ut pudori uobis merito esse debeat, si nomen uestrum tam prodigioso impostori accommodari sinitis. Quis uos aliquid diuini habere credet, si contra omnis honestatis primas regulas, in eos, qui uos nulla iniuria affecerunt, qui uos coluerunt, ornaruntque, quantum potuerunt, immittitis feram bestiam, ueluti rabidum canem in gregem innocuum? Aut, si quis est in hoc tam atrociter quasi uestro iussu laesorum numero, qui uos prior laesit, quod non credo, an alii innocentes copulandi fuerunt? Quis in parnasso uestro aliis Numinibus, quam Contumeliae, & impudentiae sacra fieri putabit? si Apollo flagitia praecipiet, & sycophantas non sinet modo circa famam honestissimorum hominum uagari, sed iubebit? *Non* (*c*) quidem *minus*

(*b*) *Traianus Boccalinus.* Vid. *C. Tollii* append. Infel. Erudit. p. m. 38, 39. qui sacculis arenaceis occisus periit. *Haec manus* C. Gr.

(*c*) L. 5. C. de Accus. & inscr.

nus crimine, siue atrocium iniuriarum iudicio tenetur is, qui in iustā accusationem incidit, quia dicit alium se huiusmodi facti mandatorem habuisse. Namque hoc casu, praeter principalem reum, mandatorem quoque ex sua persona conueniri posse ignotum non est. Cum & de pauperie facta, dominus animalis noxii conueniatur. Mallem omnia, alia credere, quam haec uestro auspicio facta. Sed excusare uos uolenti reclamat proditor uester, idemque calumniator non minus parnassi uestri, quam omnis boni moris, dum quae maxime colitis illustria nomina, ultro suo facinori praescribit, iisque tanquam rem bene gestam approbare publice non ueretur. De typis porro, de loco impressionis, aliisque ad notitiam criminis pertinentibus, omnia tam sunt manifesta, ut ualde uerisimiliter noscantur, quibus sola spes & uoluptas ex eo quaeritur, quod liuor & optimi cuiusque obtrectatio pronis apud uulgus auribus accipiuntur. Nomina inuadit plura *Schurtzfleischii* furor criticus; sed *Boeclero* hoc super omnes eximium praestat, quod ab initio, & in medio, & ubique eum calumniatur. Per mera id quidem mendacia. Quid enim *Boeclerus de aeui nostri Papyrio identidem satis confidenter affirmauerit*, sponsione certare ausim, si uel ipse *Boeclerus* sciat, uel ex ipso quisquam, nisi qui cum *Schurtzfleischio* in parnasso infami somniasse se forte somniauerit. Non est parcus laudator omnium eruditorum Boeclerus: sed in peregrinum & alienum habitum eius uerba detorquere, nemo sanus instituat. Sed Conringius scilicet non potuit laudari, nisi

nisi *Limnaeo, Goldasto, Carpzouio,* aliis conuicium fieret. *Tabori* quoque, quanquam nondum mortuo leoni, lepus *Albi politanus*, ut se uocat, insultat. Quanta insania! Res pridem sepultas, & longe alio quam furiosi calumniatoris tribunali dignas, ab orco, qui ipsi parnassus est, reuocari, *Albipolis*, ut *Schurtzfleischius* promulgat, patitur, & typos caeteraque subministrat? Interea dum rictu canino pluribus inhiat Criticus furens, felicem se *Conringius* praedicare debet, quod dissertationes eius politicas commentario prosequendi otium non inuenit satagens Cynicus. (*d*) Caue, mi *Hermanne*, μοςὲπληγήν Quid enim moliatur hoc monstrum, uides, cum Apollinem agere incipit, qualia in μανίᾳ multa solent accidere, & πολυπραγμοσύνην Tibi, *ac impetum erga innocentes*, uerissima nimirum morbi sui nomina exprobrat. Aurigine infectis omnia flaua apparent: phrenetici sui ingenii notas in aliis se uidere putant. Non possumus ergo Tibi gratulari, doctissime mi *Hermanne*, quod tam breui spatio deseuiit, in Te haec tempestas. Vides enim, non meritis Tuis parci, sed stomacho Tuo, qui *amarum ueritatis cibum*, qualis ex culina *secessus Albipolitani* depromitur, concoquere nequeat.

Tum & festinandum erat; quo rabies maior ursit. Noua enim & nemini uisa aut comperta de Boeclero tradere instituit iudex maniacus. Subodoratur sagacitate, plusquam canina, ex Museo eius *rerum ciuilium iudicium* colligi posse. Quid ait Criticus? iudicium de rebus ciuilibus sibi uni sumere, & tamen aliquid concedere alteri, non est ex maiesta-

(*d*) adde notas Sarckmasianas num. XXIII.

iestate tribunalis censorii. Tum aliter utique sentit, quam *Boeclerus*. Hic enim rerum uere actarum & dictarum in *Museis* incomparabilibus, magis extra quam intra Germaniam, historiam se inchoasse in *Museo* planis disertisque uerbis testatus est, minime sibi in alios iudicium sumpsisse. Qua de re tam non possunt dubitare illi, qui aliquam lirerarum & literatorum notitiam habent, quam haec, & omnem hominum rerumque statum ignorant, ita *ἐκτρώματα σοφίας* quorum *Schurtzfleischius* hodie agmen ducit. Et tamen ex hoc mendacio (*Boeclerus sibi in alios iudicium sumpsit in Museo*) tanquam ex facili nascitur argumentum, quod tum quoque calumniosissimum esset, etiamsi *Boeclerus* sibi sumpsisset in alios iudicium: Ergo *Schurzfleischio, homini somniatori, Criticorum furiosissimo, licet in* Boeclerum *mendacia, conuicia, iniurias euomere.* In qua republica ita argumentari licet, illa perdiderit uera rerum uocabula & officia, oportet. Hem! si uis nebulonis nomen euadere, ostende ubi *Boeclerus plus uni Grotio, quam omnibus Salmasiis, plus uni Forstnero, quam omnibus Lipsiis Gruterisque uindicarit.* An *Boeclero*, diuersissima studia & laudes, omnia idem puluis sunt? an is tot nominibus distinguenda elogia, more phrenetici tribunalis, in unam colluuiem coniicit? Quis hoc unquam ex eo audiuit? quis scribi pingiue uidit? quam risisset uir suo merito incomparabilis, *Forstnerus*, si se *Lipsiis & Gruteris* praeponi comparariue audiuisset? Nam quid de *literatoribus* hisce & *Criticis*, Asinus praetor in Parnasso infami iudi-

cet,

cet, defenforibus horum facinorum expediendum relinqui par eft. Componite togam, & parate affem. Nouum *Boecleri* crimen: *quae in Tacitum fcripfit, plus compofitae orationis, quam fpiritus habent,* Legi ea, & cum olim inter auditores eius cenferi gauderem, & poftquam ciuilibus officiis negotiisque non perfunctorie fum adhibitus. Sed deprehendiffe me periodum, in qua plus uerborum, quam rerum effet, mentirer cum *Schurtzfleifchio,* fi dicerem. Sed heros nofter *Spiritum* defiderat; non intelligo, quid uelit; ne fufpicor quidem, nifi fpiritum uertiginis, quo agitari fine interuallo fe fentit, hic fruftra quaefiuit. Nimis autem magnum mihi defiderium iniecit, uidendi propediem *commentarios Schurtzfleifchii in Tacitum plus fpiritus, quam compofitæ orationis habentes,* ne mundus fruftretur fpecimine eius forma, quam nouus artifex animo concepit. Eftne & illud crimen, quod *Forftnero* fe fatetur inferiorem *Boeclerus*? o probum crimen. Tam, uiro bono & prudenti ftultum uidetur, fe alteri praeponere, quam iniuriofum effet, cum malis & ftultis in comparationem eum adduci. Omnis humanitatis expers eft, qui in fcirpo nodum quaeritat, & pro crimine iterum habet: *Menfuram Forftnerianam non impleuiffe.* Nam hic iudex, furore plusquam Apollineo concitatus, *menfuras ingeniorum, prudentiae, ftudiorum,* fatis pro imperio difpenfat: Et tamen perfpicax Minerua, quae cerebellum iudicis parnaffici infedit, in aurem, uicino flexu infufurrauit hanc fapientiam. Mercurius etiam praeterea, mendatiorum uenditori *Schurzfleifchio*

fleiſchio in aurem dixit, *Boeclerum ſaepe in rebus morum frigide ſcribere, definire controuerſias iuris naturalis & gentium perplexe, decidere dubitanter.* Orator eſt ex iudice, qui Mercurii perſonam ſumit, ut animaduerto ; ita confeſtim & uno impetu cogit ſuas calumnias in aciem. Breuis tamen & compendioſus. Multa poſſunt dici uno ſpiritu, quae probari aut oſtendi moleſtum, nec eo, cui ſufficit dicere, ego dico ſatis dignum eſſet. Adde, quod expeditiſſima haec eſt ratio, de omnibus iudicandi, omnes contemnendi, omnibus ſe praeponendi; ſi dicuntur, quaecunque in infamem buccam ueniunt, nihil probatur. Quaſi ſi quis diceret, *Ziegleru*s, de quo tamen bene ſentiunt, quibus calumniator eum ut caput Meduſae obuertit; fecit hoc & hoc; ſcripſit ita & ita. Securus enim ex arte *Schurtzfleiſchiana* eſſet, qui ex rumore & libidine animi quaeuis diceret, nihil probaret. Sed iam aſinus conciſe intendit aſinorum gregem, ut quo numeroſior eſt malitia, eo munitior ſit. Tales enim ſe auricularum motu produnt, quos *familiares Boecleri* narrat, imo fingit impoſtor. Similes hic habent labra lactucas, ſi usquam. Hi retulerunt: *Boeclerum magis ex Commentariis, quam ex ingenio ſapere.* O Arcadica pecora! Nam qui in ſcriptis *Boecleri* non uidet ingenium, ille nec habet ingenium, nec omnino, quid ſit ingenium, nouit. Nemo ex familiaribus *Boecleri* ita deſipit, quin ſciat, talia narrantes aut credentes, & ex ingenio, & ex commentariis, more *Schurtzfleiſchiko* (uenia ſit turpitudini uerbi) deſipere. Eſt genus quoddam hominum, qui diutius in quibusdam Aca-

demiis uerſati, & neſcio quo uento in ſublime lati, antequam ullius ſcientiae guſtum percepiſſent, multo minus morum ruſticitatem & abſurditatem ulla ex parte exuiſſent, mox nouitiorum auribus arrepentes, de ſubito coelum attingunt uertice, & tumore ſuarum ſibi perſuaſionum magis inflantur, quam rana, quae rumpi, quam magnum animal non imitari maluit. Cum illo maligno tumore plerumque iungitur phreneſis,& exhac mania,& ex mania furor,omnes homines natos calumniari certus & pertinax, inprimis Academicos doctores, quibus non ſine cauſa infeſti ſunt: quod ſtatim ut eos aſpexerunt,ſe ſuperiores eſſe,ſiue in ſpeculo Philoſophico uiderunt, ſiue in Parnaſſo ſtygio ſomniarunt,ſeque *Apollinis*, *Mineruae*, *Mercurii* fratres & Secretarios eſſe delirarunt, illa ſine nomine omnium nominum probra & decora. Non eſt breuis paginae, hanc Academiarum peſtem deſcribere. Manebit ſua Nemeſis eos, qui infamiam ſeculi & omnium bonorum iniurias, fouendis his prodigiis accumulant. *Schurtzfleiſchium* certe inter hos coryphabum eſſe, uix quiſquam dubitabit. Cuius narratores (ſiue narratorum fictor) pergunt: *Boeclerum praeſentia quoque laudes & famam longo tempore collectam plus ſemel minuiſſe.* Obſcura calumnia, quam non intelligo. Et ſi quis interrogaret: *ubi & quomodo*? reſponderi utique audiremus: a regulis methodi *Schurtzfleiſchicae*, quas mox nouus ſcholarum rector dictatorio more promulgare decreuit, diſſidere tales interrogationes. Nihil enim probare, omnia decernere, dictatorium eſſe. Si tamen *Apollo* ὁ λοξὸς caſum formare per-

mit-

mitteret, quod Glossa assidue, non tamen semper aeque feliciter facit, puto hunc esse casum: Viuebat in Aula *Ducis Florentini* uir doctissimus, & Magno Principi suo in primis charus, M. quem & ipse uisu audituque uenerabilem cognoui, nec ullius boni saniue hominis dissensum circa laudes meritas unquam percepi. Sed aduentabat homo, ab elegantia & doctrina proscriptus exul, utriusque tamen nomina, sicut laruam uultui, obduci posse ratus, qui, me admonente ad salutationem tanti uiri admissus est. Stetit & obstupuit, non admiratione, quae doctis tantum conuenit; sed ut sibi uidebatur, contemptu. Non enim fastum, non supercilia, non inania, sed ingenuam optimorumque rerum conscientia innutritam mentem fortuna ipsi obtulerat. Nec fefellit uanitas hominis, melioribus assuetas uiri aures. Sermones miscere uolebat, sed adeo ab omni sana ratione abhorrentes, ut posset peregrinus ille peregrinator de Apolline Florentino uere queri.

Ille nihil, nec me quaerentem uana moratur.

Cum exiremus Bibliotheca, ille elegantissimus comes meus obiurgatorio uultu, quid mihi tantopere laudabas, inquit, hanc uirum; qui nihil sapit, nihil splendet, nihil declamat? Respondebam: ego gratulor mihi de notitia tanti uiri; & sentio cum tota Italia, Galliaque, aliisque nationibus, hunc uirum esse inter insignes quoque insignem. Non fefelli Te, sed Tu te fefellisti. Sed illa in Italia acciderint. Quid ad *Schurtzfleischium*, & *Schurtzfleischii* familiares? Cum ad hunc ibitur, tum eminebit in tribunali Critico furioso, & colubris taedisque furia-

rum horribilis, tabula paedagogica, inscriptum sibi, manu pueri coricaei praeferet elogium, auctore *Daniele Heinsio* elegantissimo Poëta; cuius initium est:

Inepte, uecors, impudens magistelle &c. (*e*)

Tum maiusculis literis sub notatum legetur: AVGET PRAESENTIA FAMAM· *Publicis & alienis negotiis se immiscuisse Boeclerum*, tam est falsum, quam uerissimum, *Schurtzfleischium* ex mera & infami πολυπραγμοσύνη aliena attrectare, & tum Principibus maximis, tum eorum ministris iniuriam facere. (*f*) Noscent igitur in posterum Principes, se Furorem Criticum *Schurtzfleischii* effugere non posse, quo minus adhibuisse dicantur suis negotiis homines *in iis parum uersatos*. Nam haec inquisitio ad *Rectorem Corbacensem* spectat. De cetero pronum est omnibus, cognoscere maximam hominis impudentissimi imperitiam. Semper in furioso Parnasso, etiam haec, furiose somniat: Boeclerum, nulla suscepti rite muneris, nulla mandati Principalis religione adactum, sed sponte & temere, ardelionatu *Schurtzfleischico*, *publicis negotiis se*, ut Sycophanta loquitur, *immiscuisse*. Somniat iterum seu delirat: *Boeclerum ius faciendi homines proprios defendisse: & librum*, quo hoc fecerit, in margine *annotat*. Ecquid pudet eos (si qui sunt, quod dubito) talis impudentiae, qui calumniatori pa-

(*e*) item istud quod apud eundem legitur p. 98. Poëmatum, reperitur p. 75. seq.

Infame monstrum, noctis impiae proles &c.

Haec annotauit C. Gr.

(*f*) Defendit se contra hanc inculpationem Sarckmasius in Scholiis num. VI.

patrocinium praeſtent: cum ea mentitur, quae contrario ſe modo habere, notum publice omnibus confeſſumque eſt? An is, qui Principis ſui mandatu, non id, quod mendax ſomniatur per craſſiſſimam ignorantiam fingit, ſed quod in cauſa erat, ſcribit, meretur aut mereri poteſt *Politicorum* (niſi illi ex Parnaſſo infami intelligantur) *odium*? An apud *repurgatae religioni addictos offenſa conflatur maxima*, ſi quis ius faciendi homines proprios defendit? Salua res eſt. Nihil hoc ad *Boeclerum*, qui ex hoc argumento gratiam ſibi promittere poteſt & debet, eorum, quos in ſe irritaſſe dicitur. Si enim religioni repurgatae repugnat, ius homines proprios faciendi defendere, *Boeclerus* in parte oppugnantium illud ius, ex impoſito ſibi, more rituque ſolenni, officio ſtetit. O uipera! itane diſputationes de hominibus propriis, non priuato cuiusquam auſu, ſed neceſſitate & auctoritate publica ſuſceptae, in *Albipolitano ſeceſſu*, religioni huic aut illi ex libidine licentium addicuntur? & *Schurtzfleiſchius* poſt reges maximos in furioſo Tribunali nouus iudex ſedet, nouum Laudum promulgat? Hercules Tuam fidem! Poenitentiam nemo Arbitrorum indixerit huic aut illi parti. Sed *Schurtzfleiſchius*, quem ſuae infamiae adeo non poenitet, ut ipſa infamia delectari decreuerit, *ſperat* eos, qui nihil eorum, quae Nebuloni in argumentum ſomnii uenerunt, in animum admiſerunt, *in poſterũ cautiores fore, & aliis aliena relicturos*. Singula uerba, ſingula deliria: de quibus dictum. *Boeclerus* hoc monitore eguit! monitore ſycophanta, qui & ueniam (ſi qua peti debet a Critico Furente) deſperari iubet;

terribili arcano prolato: *sed facta non possunt reddi infecta*. Ita profecto est: *Schurtzfleischius* publice infamem sycophantam egit. Nollent hoc factum, quicunque publicam honestatem amant. Sed facta infecta reddi non possunt. De *Argentinensibus certaminibus* quid deliret *Schurtzfleischius* uester? quaeso attendite, qui exemplum intelligitis. Quae in extremo Germaniae limite pridem sepulta sunt, in *secessu Albipolitano*, nulla publici priuatique iuris reuerentia, uespilloni *Schurtzfleischio* refodere licet. Quanta πολυπραγμοσύνης nequitia! Attendite iterum, quid de *aequalibus* & *superioribus* iudex Asinus decernat! Viri boni & docti, optant non modo aequales sed superiores habere quam plurimos. Sed, o infamis Parnasse, tu de his rebus iudicem facis Midam? *Schurtzfleischius* est, qui merita & fata doctis partiatur? quo suo merito? quia rerum hominumque, praesertim in quos iudicium sibi sumit, ignarissimus, stultissime comparandi artificium nouum & inauditum profitetur. Ita *Boecleri* & *Ziegleri omniumque*, ut ait, *anniotatorum* in *Grotium* scripta, sunt scilicet eiusdem instituti, eiusdem generis? nullum habet iudicium, qui ita iudicat. *Ziegleri* uicem doleas, si illum huius iudicis & laudatoris non pudet pigetque. Nemo eius meritis quicquam detractum cupit: laudanturque a nonnullis Theologica illa, quae ad librum primum persecutus est. Sicut nec reliqua huius libri displicent: audiui tamen uiros non indoctos ita aestimantes, intra non magnum dierum numerum posse tales in *Grotium*

tium Notas procudi. Sed per nos ſit quantuscunque uelit: qui neminis gloriae inuidemus, & in huius uiri laudibus non parci unquam fuimus. An autem ad eas augendas pertineat, ſi *Schurtzfleiſchii* iniurioſa in tot praeclaros uiros malitia ſub umbra eius latere uulgo dicatur, noſtri nolumus eſſe iudicii. Dies loquetur pro hominibus. *De Bocclero irritando*, non eſt quod ſomniet *Schurtzfleiſchius*; An nebulones inſaniant, parum ille putabit ad ſe pertinere; & male conſultum eſſet ſtudiis, ſi *Schurtzfleiſchius* mereretur ab ipſo refutari. Erunt qui hoc faciant, ipſo ne manum quidem uertente.

Monzambano etiam blanditur infame caput. Cauſas igitur ſatis magnas habet ille, ut gratias agat Furori Critico, quod non plura deſiderauerit in eius ſcripto, *diſertam* etiam *ſine iudicio prudentiam laudauerit*, & culpam *Saxonicae laudis neglectae*, & *exprobratarum rerum, quas non intelligit*, expiare tandem diſcat, ſubmittendo ſe ſub ferulam *Schurtzfleiſchii*, a quo ſapere diſcat, & *a Satyra abſtinere*: quam ſoli *ex Rectore Corbacenſi* ſcribere licet, inſano *Apolline* decernente, *Minerua & Muſis* cerebrinis mappam mittentibus. *Controuerſiam de forma Imperii*, poſt *Monzambani* & aliorum infelices conatus, Parnaſſus infamis *Schurtzfleiſchio* decidendam commiſit, qui ſolus tantae rei par eſt, formulas ex ſchola, praecipiti inſolentia neglectas, ſapientia ex aſſe cum ſuo ingenio congruente ſuppleturus: ſimul *Schoockium* parum clementer caſtigaturus, ut & *ſcriptorem Eleutheropolitanum*: il-

illum impolitum, informem, & propter ariditatem taediosum lectu; & scholam olentem & lacunas. Prodigium sapientiae! suntne in *secessu Albipolitano*, qui ita iudicant, & nondum de Anticyris adeundis cogitant? Eram nuper in Concilio Legatorum, & uirorum illustrium : qui tam praeclare de scriptore *Eleutheropolitano* sentiebant & loquebantur, quam turpiter hic Midas, ingeniosum & auriculatum caput conuiciatur. Hercules Tuam fidem! expergiscere; & decimum tertium Tibi laborem uenisse, animaduerte. *Pacificum a Lapide* cum *Hippolito a Lapide* confundi, & descriptores huius notari, absque exemplis & testibus, mirum esset, nisi usitatum in Parnasso infami.

Burgoldensis quia iterabit mox editionem suarum curarum, respondendi occasionem habebit, si tanti putabit: & forte de ambitione sua *Würtenbergica*, *Forstnerum alterum referendi*, aut *in aula Ducali summum gradum*, deiectis quos serenissimus Princeps hactenus eo nomine coli uoluit, *affectandi*, aliquid narrabit. Hactenus enim *Stutgardiae & Mompelgardi* adeo haec ignorata fuerunt, ut ne tenuis quidem famae aura emanuerit ; donec somnia ex infami Parnasso in mundum euolauere. In quibus demum & illud patuit: *Pufendorfium Holmiam nuper accitum esse.*

Cyriacus Lentulus, ut audio, non tacebit. Quanquam nescio, an uir bonus & doctus intelligat satis illa mysteria συγκριτικὰ de *Forstnero, Berneggero, Zieglero, Labbaeo, Thalaeo, Gronouio, Hornio*

nio, & quidem in *censura Patrum*. Quae cur huc illata sint, nemini licet hariolari, nisi qui in Parnasso infami somniauerit. Vellet tamen *Cyriacum* laudare, nisi statim ut melior cogitatio animum subit, poenitudine ductus ad ingenium rediret. Sed quid de *Berneggero* insanit Criticus Furens? *quos centones* memorat? quid de scriptis *Berneggeri* egit? Arcanum Parnassi *Schurzfleischici* hic eliminandum est: de plerisque magnorum uirorum scriptis, quos conuiciatur, nihil omnino ita legit, ut intelligeret; paucissima uacillanti & coecutienti per furorem oculo percurrit: & tamen iudicat, censet, pronuntiat, Parnassi sententias consignat. Itane Parnasso infami *Berneggerus* cum *Asterio* (iungentur iam gryphes equis) *deridendus* uidetur, & quidem *propter iniquam pacis Pragensis censuram, rerumque imperii imperitiam*. O nebulonem *Schurzfleischium*! Tantisper enim hoc nomine signandus uenit, donec edisserat apud Apollinis sani tribunal, ubi extet illa *Berneggeri iniqua Pacis Pragensis censura*. Nam quibus *Berneggeriana* scripta notissima sunt, se fatentur ignorare. Nisi forte in Parnasso infami extat speculum Magicum, exhibens formas, literas, sententias, quae neminis hominis conspectum aut animum subierunt. Et nunc tempus erat puto, *de Pace Pragensi* disserendi, Hercules tuam fidem! An *Albipolitano secessui* hoc negotium datum est? Iterum testor uestram fidem, quicunque illis locis ullam diuini humaniue iuris intelligentiam habetis aut amatis; Estne *Berneggeri* nomen, post merita, quibus literatus or-

bus *Martinii* nomen ſine controuerſia ponendum eſt: Rumpantur ut ilia momo: cui *nondum uir eſt* (quanta impudentia) *nondum Latinus. Schurzfleiſchius Martinium eloquentiae uulgaris menſura taxabit? Schurzfleiſchius*, inquam, cuius infames chartae merum rus, aut, ſi mauult, ſcholae inficetioris tricas ineptiasque olent, ſi cum *Martinii* ſtudiis conferantur.

Mirum interim, quod *Pufendorfio*, Modimperator Parnaſſicus, partiri loca eruditis, & ſiue extollere, ſiue deprimere certus, eum praepoſuit. Ne placeat ſibi tamen *Pufendorfius* hoc encomiaſte; mox *plagii inſimulatus* citra ambages: nam quod *ex ſcania in Vplandiam* (g) *trans locatur* arbitrio mero domini Rectoris, parum intereſt. An ipſe cum hoc moro potius ſentiat, quam cum cæteris uiris doctis *Elementa* ſua *Iuridica Diſſertationibus* ſuis longe anteferat, qui propiores ſunt, reſciſcent. Sententioſus eſt interim Criticus inſaniens in *Pufendorfio*, *ſatis laudatum eſſe, qui Regum Principumque fauore ſit ſubnixus.* ſed quis a deliro expectet conſtantiam? hoc decretum ſuum turpiter ipſe inuertit. Nihil hoc *Berneggerum*, nihil *Boeclerum* iuuit, apud Rhadamanthum furioſum. Quo maiora ſunt patrocinia principum omni mundo uenerabilium, quæ artere hominum non plane inſanorum inſultus poterant, eo magis debacchari & contra tendere niſus eſt. Neque enim Iupiter armi-

(g) Vpſaliam.

migerum suum a foeda scarabaei iniuria defendere potuit.

Sprengeri diligentia pro se ipsa dicet testimonium, & censorem suum infra *uulgi* infimi faeces detrudet, ne diutius in Parnasso sibi somniare uideatur.

Viueres uero doctissime *Horni*, in cuius funere tantum iacturae Musae fecerant, quantum infamiae Parnassus in secessu, *Schurzfleischii* flagitiis adiit. Nunc tumulum tuum rabiosos canes permingere, non feret, sat scio, amicorum pietas. Alit magna & recta ingenia Dania, altera Tibi Patria, quae non obliuiscentur Tuorum meritorum, aeque a monstrorum saeuitia uindicabunt.

At Te *Iacobe Le Bleu*, nunquam sine laude a uiris maximis audiui nominari. Neque ipsa calumnia, quae ut turpius loqueretur, *Schurzfleischii* ore loqui uoluit, negare potuit, quin *ita esses linguis exteris imbutus, ut non possit melius quis exterus* (nam haec uerba cum magna superstitione arcanae elegantiae retineri debent) & tamen animal non aliter, quam pediculus in charta solet, peregrinatum, optat immo iubet, *tersius a Te paulo Italica & Gallica Latine reddi*. Nondum erubescitis, secessus *Albipolitani* incolae, accolae? si non uestra, profecto aliorum non interest.

Ad *Georgium Hornium* uenit totus Parnassus, in cerebro aut calcaneo *Schurzfleischii* coactus; sed sub titulo: *Judicium Parnassi*. De quo? de phrenetico. Quis narrat? phreneticorum alpha, *Schurzfleischius*. Satisne excusatus est *Hornius?* ita uidetur. O tempora, o flagitia! inter uiros opti-

optimos doctiſſimosque, qui *Spenerum* non reponit, is nec uirtutis, nec doctrinae umbram habet. Sed quid Criticus Furens de hoc Germaniae ornamento? *τῶν πολυπραγμόνων* ſceleratiſſimus *πολυπραγμοσύνης & ipſum*, & ne tanta res inſolitudine gereretur, *Wagnerum*, grande & laudatum nomen, arceſſit. Tune, qui ne nomen quidem *iudicii* intelligis, & non niſi per ſomnium fatuum, aut *furorem* maniacum iudicare ſeu delirare potes, *ἀκρισίαν* huius uiri accuſas? & nauſeas? ſicut deſperati ſtomachi ad optimos cibos? nondum ſatis eſt. *Ius Speneri Heraldicum Gallicae ſagacitati aut riſum mouet, aut bilem.* Tireſios loquitur, audite. *Ius Heraldicum* (notate pueri, diligenter omnia uerba) quod nondum prodiit, pſeudomantes iudicat, ex diabolica haud dubie praeſcientia, & damnat. Sed quid eſt tandem, Tireſia, quod *Gallis riſum & bilem* res ualde diuerſas *mouere* queat? ſunt ne Galli alieni ab his ſtudiis? nemo magis in iis elaborauit. Ridebunt & indignabuntur ſua ipſi inuenta? quis hoc credat, qui Gallos, qui Gallorum ſolertiam, qui candorem nouerit? de his ergo, ut ſecurus ſit *Spenerus*, admonendus eſt. Habet propiorem aduerſarium *Schurzfleiſchium.* Hic eſt, qui gratiam *Spenero* referre cupit ob *Inſignia ſereniſſimae Domus ſaxonicae* nec inerudite nec uulgariter explicata. Aegre tulit Tribunalis furioſi inſeſſor, quod cauſa ad aulas ſereniſſimorum principum pertinens, non eſt ad paedagogicum iudicium remiſſa. Hinc illae lachrimae ſeu furiae.

Non mirari debet poſt haec uel *Poppingius* uel *Hero-*

Heromontanus, magis tamen *hic*, quam *ille*, quod uix imo ne quidem uisa damnantur. *Censorium hoc tribunal*, quod ab initio *satyricum* dixerat, neque modum neque terminos nouit. Placet Nebuloni sua nequitia; neque desistet, donec *Apollo* Furiosus, & *Mercurius* Nequam, & *Musae* Fatuae, & *Minerua* Cerebrina cum Parnasso infami pessum iuerint. Aut his monstris, aut honestati publicae pessum eundum est. Hercules Tuam fidem! si es, quod esse semper uoluisti, cogita, nuspiam iustius rectiusque monstra domari, quam si uiris bonis doctisque aduersus nefarios sycophantas, & paedagogicum furorem? ius dicatur: omni meliori modo &c.

EPISTOLA II.

Ex Gallico Latine conuersa ab ipso auctore.

Pollicitus Tibi nuper sum, Nobilissime Domine, me, ubi plus otii nactus essem, *de iudiciis ex Parnasso Sarckmasiano* non ita pridem in publicum sparsis, meam Tibi sententiam paullo prolixius perscripturum. Iamque calamum sumseram, ut fidem Tibi datam repraesentarem; cum redditae mihi sunt literae Tuae, quibus denuo promissum urges, & simul quo loco Ipse scriptum tam perniciosi exempli collocandum habendumque censeas, usitato Tibi candore declaras; itaque Tuo partim inuitatus hortatu, qui mihi loco mandati colitur; partim prouocatus exemplo, quod uenerari nunquam desinam; partim confirmatus iudicio, cuius apud me maxima semper auctoritas erit; minus dubitaui hoc institutum ingredi, in quo si non eruditione, attamen obsequii & reci-

cipro.

ciproci officii promptitudine expectationi Tuae essem satisfacturus.

Et de Auctore quidem *horum iudiciorum* quae scribis, ea pleramque partem licuit ex ipso uere famoso libello colligere, atque tanquam ex spuma & dente, rabiosum canem deprehendere. Licet enim nomen suum tam infelici deflexu occultet, ut, qui non nouerunt hominem facilius *lanionem* aliquem aut *carnificem*, quam *Schurzfleischium* sub *Sarckmasio* latere, sint suspicaturi: de caetero tamen omnes paene syllabae, manifesto descriptum a Te magistellum produnt. Tam aperte is in scripto suo passim ostendit, se facere id, quod phreneticis in usu est, & furorem ex dolore amissi officii contractum assidua recordatione pristinae dignitatis uel alere, uel solari. Dum pro sceptro scholastico, quod in *Corbaciensi Gymnasio* parum feliciter eum tractasse refers, nouos ubique fasces somniat, noua sibi tribunalia erigit, ut ad ea doctissimos quosque uiros tanquam puerorum gregem cogeret, & ibi censoria uirgula, quam praeclarus artifex in discipulorum terga expedire didicerat, ignominiose notaret. Ne quid ipsi scilicet ex ante actae uitae consuetudine periret. Atque cum hac insania tamen tam impudens est, ut non uereatur subinde flagitium prostitutae tam turpiter alienae famae attenuare, obtegere calumnias, colorare conuicia, quibus totae scatent eius paginae, sceleri auctoritatem, patrocinium nequitiae parare atque praetendere. Virorum omni politioris eruditionis gloria conspicuorum laudes uenenato dente arrodere; ipsorum uitam & scripta, per omne opprobrii genus, quod

quod quidem ex literarum tractatione quaeri potest, publice traducere, totus ipsi scopus,totum artificium est. Et inter haec tamen *liuorem se odisse* clamitat, *detestari iniuriam, abominari calumnias*; quasi aeque facili negotio abscondi crimina possent, & perpetrari. *Studium ueritatis, liberalis iudicii curam, modestiam* denique simulat; sed ut mentiendi libidini, maledicendi pruritui insolentiae, impudentiae frenos laxet. In bene meritorum & innocentium infamiam, sine testibus, sine indiciis certis, uaria crimina confingit, & spargit in publicum, atque *haec facere* quaerit,*quae lex prohibeat, quae ratio uetet*. Ipsum tandem *Parnassum* improbitatis suae asylum facit,& in sapientiae omnisque sanctioris disciplinae domicilio,malitiae suae diuerticulum, receptaculum sceleribus, improbitati latebram quaerit. Qua ex re plusquam meritus esse omnium Musarum reprehensionem incurrere, si hoc ageret tam augustus consessus, ut ad quorumuis Magistellorum uesaniam turbaretur, quorum deliria potissimum hac ulciscitur poena,quod ea infra suam reprehensionem arbitratur. Eadem opinor mens erit *Conringio, Boeclero*,& in quos de caetero suam rabiem iste canis euomit. Qui manum ob id non uerterint,an ab hoc nequam, cui sola libido est male loqui,uituperium ferant uel laudem.Praeterquam enim, quod in famoso libello satius est, adverso, quam propitio sycophantae iudicio notari: Iste agyrta insuper suas reprehensiones tam apertis mendaciis calumniae manifestas facit, elogia uero sua tam peruersa laudandi ratione corrumpit, ut nemo apud cordatiores,

res, uel ab illis famae suae periculum metuere debeat, uel ab his aliud possit, quam opprobrium expectare. Quae enim unquam honesta, uel ingenua mens non indigne tulit, cum detrimento alienae existimationis inclarescere? & hoc tamen praecipuum est, quod noster censor toto scripto facit, ut iniquissimis, & saepe plusquam ineptis comparationibus maximos uiros, sed in diuersis studiorum generibus nobilitatos, unum ad alterius probrũ celebret. Specimina huius rei ante omnium oculos exposita sunt. Sed si tamen sub exemplo maxime conspicuo loqendum est; quid hac comparatione indignius, qua meritissimas *Forstneri* laudes, neminique magis, quam *Boeclero* celebratas, tam improbe cauillatur, ut in *Boecleri* contemptum detorqueat. Si quaeras, quo consilio, quaue auctoritate? tam impudens est, ut ipsum denuo *Boeclerum*, contra quem tamen inprimis istae machinae dirigebantur, audeat pro suis partibus nominare, utpote qui tali iudicandi modo ipse in *Museo* exemplum fecerit; *dum plus uni Grotio, quam omnibus Salmasiis: plus uni Forstnero, quam omnibus Gruteris Lipsiisque uindicat.* Inducor prorsus hoc tam insolenti mendacio nequissimi Magistelli, ut credam eum altioribus prorsus & peculiaribus furiis agitatum, contra *Boeclerum* insurrexisse, in quo censendo prae coeca maledicendi rabie adeo non mentem tantum, sed oculos amisit. Etsi enim in *museo* legisset, quod uertigine abreptus legisse se nuspiam scriptum fingit; an non satis aperte *Boeclerus* aliquoties publice testatus & professus est, non sua, sed aliorum indicia, in *Museo* con-

ſignari? quod factum eſſe, ſi ignorat cenſor, ſtupidus eſt; ſin ſciens diſſimulat, peruerſus; ſin, quod uero ſimilius uidetur, peruerſitatem cum ſtupore miſcuit, monſtrum. Et certe mox clarius huius mixturae ſpecimen praebet; dum in aeſtimanda *Boecleri in Grotium commentatione* & extollendis *Zieglerianis* in idem opus *notis*, nihil inuenire potuit, quod *Ziegleri* laudibus adderet, niſi prius id *Boeclero* detraxiſſet. Ridiculus adulator! putauit hinc *Zieglerianis notis* pretium fore, ſi conſtaret, illas non poſſe cum *Boecleri curis* contendi, quam ſi *Boeclero* prius adimatur, quicquid eius inſtitutum & laborem, ipſius maledicentiae confeſſione, ſupra caeteros in *Grotium* commentatores euehit. Hinc excludendum fuit ab eo *ſtudium antiquitatis, elegantia ſtyli, peritia hiſtoriarum.* Quo exemplo inductus, ſi in *Ziegleroquoque a neruoſa ſcribendi breuitate, & inſigni diuinarum humanarumque rerum notitia* receſſiſſet, procul dubio hic etiam, non ad *Boeclerianam menſuram*, ſed ad turbam recideret, notisque ſuis a tam turpi praeconio, tanquam ab aſini buccina, fruſtra licitatores expectaret. Eiusdem farinae ſunt non reliquae tantum importuniſſimae comparationes uirorum diſſimillimis ſtudiis operatorum, ſed inſuper illa monſtra iudiciorum, quibus non tam de aliorum ſcriptis iudicat, quam ſuã in iudicando barbariem manifeſtat: dum exactos ad ſtolidiſſimam cerebri ſui normam uiros eruditos, exinde ſecure damnat. *Conringius* ipſi πολυπράγμων eſt: quis miretur? aeſtimauerat quippe *Conringium Ludimagiſter* ex ingenii ſui anguſtiis, qua-

rum

rum ambitus, praeter exiguam scholasticarum nugarum supellectilem, nihil amplectitur. Itaque, cum ad cerebrum *Sarckmasii* omnis scientia res esset non magis pertinens, quam ad asinum lyra, *Conringium* quoque ab eruditionis reliquae tractatu, tanquam a re nihil ad eum pertinente, putauit Legibus coërcendum. In *Boecleri curis ad Tacitum, spiritum* desiderat: prorsus ad magistelli genium congrue: quem enim spiritum uspiam deprehenderet, sine mente, sine iudicio, sine spiritu stipes? *Alibi* frigiditatem in rebus, *alibi* ariditatem in dictione damnat: quid enim utcunque summo, tanto tamen calore adeo pertinaciter incalesceret, ut non ad frigidissimas niues tam febriculosi iudicii totum congeletur? Quid nares scholastico puluere atque foetore oppletae aliud ubicunque olfacerent, quam scholam & lacunas? *Alibi* honestam nominis & famae curam pro ambitione traducit, solidioris scientiae laudabilem tenacitatem pro superstitione exagitat: quoniam ipse gloriam putauerat, inter asinorum greges, tanquam ignauum & excors pecus, superstitem famae suae uitam agere. Alibi denique passim furorem, quem ipse intra sua praecordia conceperat, aliis imputat: ut palam fieret, eum iam ad ultimum insaniae gradum perductum, in imaginatione prodigiali sibi ipsi occurrere, & quicquid ipse delirat eius sibi in aliis speciem obiicere. Hinc *Tabori* & *Malcomesio meliorem precatur mentem*, qua caret ipse: *Schoockio* contractam ex morbo infirmitatem ingenii obiicit, ipse ualido corpore insapiens: *Hornii phrenesin ueretur*, ipse ut rabiosus non esse tantum, sed haberetur, summis uiribus annixus. Quod non eo scribo, ut

culpem tanquam absque ratione factum: quis unquam enim ab insano rationem requisiuit? Sed ut origo constet furiosae impudentiae, qua censor iste *nequam* in ea facinora, ob quae alios criminatur, non ueretur primus exemplo suo ruere. Vix *Conringio* πολυπραγμοσύνην impegerat, & in legem aliis dictam statim sine fronte delinquit, dum se litis alienae non rogatus participem facit, & uoluntarius iudex lectus ipse a se, altera tantum, immo si quid coniicio, neutra parte audita, contra *Conringium* sententiam pronuntiat. *Boeclerum* humanae conditionis admonet, cum ipse calumniandi rabie pridem hominem exuisset. Inuehitur in plagiariorum mores; & ipse interim ex *Schoockio, scriptore Eleutheropolitano, Pacifico a Lapide*, quorum plerosque modo acerbissime carpserat, totum *de Monzambano* iudicium secure describit. *Monzambano* Ipsi *Satyram, temerarium consilium, praecipitatum iudicium* uitio uertit, in quibus rebus ipse nomen quaerit & famam. *Burgoldensem audaciae, intempestiuae scribendi libertatis, dictatoriae animaduersionis*, dotium sibi ipsi propriarum, insimulat: & ipse interim summe temerarium audaciae exemplum designat, quo non *Burgoldensi* tantum, sed *Hornio* & aliis passim, in suo cerebro fata uitaeque rationem praescribit, & ad suam libidinem illorum uota uel adstringit, uel excogitat. *Lentulum* docere instituit, *quae Theologi, quae Politici* munia sint, cum ipse, *famosi libelli auctor*, declaret, se non a Theologi tantum & Politici, sed ab omni honesti uiri officio dudum degenerasse, *Rachelium infirmi iudicii, & in Tacito*

uer-

uersati parum hominis argumentum praebuisse, calumniatur, *quod Ciceronem Tacito anteposuisset* : & eadem opera ipse doctis argumentum praebet, non infirmi, sed nullius iudicii, & nec in *Cicerone*, nec in *Tacito* ullatenus uersati stipitis, quod in iis *Ciceroni Tacitum* anteponit, ad quorum usum *Ciceronem Rachelius* adeo eminenter commendauerat. A quo stupore uix respirauit, cum ad notandos aeui & iuuentutis corruptae mores tam alto supercilio accingitur, ut *Catonem* tecum loqui diceres, non *Schurtzfleischium*: nisi hoc tam aperto peruersae indolis pignore ostendisset, sibi semper inde ab infantia propositum fuisse, non *ad controuersias*, sed ad infelicissimas artes calumniandi *properare*: *non ineptias discere* ; sed confingendis & disseminandis mendaciis ingenium atque industriam exercere: *literas humaniores non spernere*, *non negligere*; sed conuiciis, furore, rabie, ipsis denique, quod grauissimum est, uitae suae probris insectari. Hinc *Martinium*, *inficetus in Tragoedia comicus*, cauillatur, in *refutando scripto Gallico, Gallicae linguae peritiam iactasse*; & ipse non ueretur alibi uersiones ex Gallico & Italico idiomate factas censura sua damnare : Dignus, qui de *ubertate Italica*, & *suauitate Romana*, forte non Italica, iudicium ferat, si Italicae linguae rudis est; sin peritus, quin prospicit, ne Italus Pseudogermanum expellat aut excutiat. *Puffendorfium Regum & Principum fauore subnixum* fatetur, *& ob id satis laudatum*; & tamen eum non cunctatur turpissimo plagii crimine infamare ; quod

eo minus mirum est, quoniam iam antea palam fecerat, quam Imperatorii, Regii, Principalis fauoris rationem haberet, quando *Boeclerum*, *Conringium*, & alios eo fauore subnixos, non passus tamen est, tam illustri praesidio a morsibus suis, *canis uirulentus*, tutos esse. Hoc tam infame institutum deinceps quoque tot tamque manifesto probrosis exemplis persequitur, ut & Tuo, NOBILISSIME DOMINE, & meo simul otio uideri possim abuti, si diutius iis recensendis insisterem. Et insuper, quanquam in hoc insolentiae genere stolida peruersitas maledici calumniatoris non habeat, quo crescat amplius; longe tamen ab eius in mentiendo impudentia, & infamandi per mendacia doctorum uirorum scripta uitamque libidine uincitur. Dummodo impudenter effutiat, quae malitiose confinxit, iam existimationis suae securus est, de qua cum nihil haberet, quod perderet, omnia se putauit sine famae detrimento facere posse. Legat quis illa solum mendacia, quibus aggressus est *Boecleri* famam lacerare, tam cruda tamque crassa, ut palpare queat, qui modo album nouit a nigro discernere; si dissimilem a calumniatore animum gerit, facile deprehendit, quae in caeteris, manifestae fraudis conuicto, fides adhibenda sit. Toto animo detestabitur effrenem audaciam sycophantae, tam foede Lectoris oculis abuti constituentis, quam turpiter ipsius stupore fuerant abusi, qui se *Boecleri* familiares mentiebantur. Quorum relatus illi satis est, ut contra propriam conscientiam latret: *Boeclerum ex commentariis magis, quam ingenio sapere, famamque longo tempore colle-*

ctam

ctam plus semel praesentia minuisse. Quasi styli nitor, tersa eloquentia, diuina iudicii uis, & illæ tot reliquae, tam eximiae dotes, quas ne ipsum quidem os calumniae *Boeclero* detrahere ausum est, res essent, quae pro sapientia commentariis adstricta contemni queat, nisi ab iis, qui cum censore nequam ex ingenio simul & commentariis desipiunt: uel quae partam illustribus meritis famam apud quenquam patiuntur praesentia minui: nisi apud similes *Schurtzfleischio* fumorum captatores & uenundatores, qui a uiris magnis paria illorum famae supercilia expectant: ubi externum fucum, quo ipsi consueuerunt incautioribus imponere, non deprehendunt, argumentum sibi praebitum opinantur & ius carpendi famam eruditorum; parum sua interesse arbitrantium, quo loco, quoue pretio in ardelionum conciliis habeantur. Nec enim in alia schola, quam in agyrtarum gregibus, eruditos credere possum illos Politicos, qui cuiquam uitio uertunt, in publicis negotiis tractandis non desertis partium suarum castris studiisque, transfugam aut praeuaricatorem egisse: qui obsequia principibus suis debita, inter aliena & aliis relinquenda numerant: qui ex eo, quod alii dextre officio suo functi sunt, uel offenduntur ipsi, uel cuiquam repurgatae religioni addictorum offensam contractam suspicantur, in re nihil ad religionem attinente. Hi, nemine uel mirante, uel indignante, crediderint, & conuicientur uicissim, *Boeclerum negotiis publicis, in quibus parum fuerit uersatus, se immiscuisse:* quos satis est in conscientia summorum Principum mendacii conuinci, qui licitum sibi

putauerunt, non interrogatis *Parnassi Sarckmasiani* suffragiis, *Boecleri* uel operam sibi addicere uel consiliis uti. Hi sibi & aliis palpum conentur obtrudere, ut credant & persuadeant inuicem, *in Vindiciis Vindicatis ius propriorum hominum male defendi*: in quibus manifesto prorsus oppugnatur. Quis post hoc exemplum dubitauerit, quin idem illi sit euenturum; si consignare atq; ostendere loca teneatur, quibus *Boeclerus res morum tractet frigide, controuersias iuris naturalis & gentium definiat perplexe, decidat dubitanter*: quibus *Berneggerus* (cuius cineres infaustus bubo sepulchro erutos lacessit, *iniquae Pacis Pragensis censurae, rerumq; imperii imperitiae* se rerum fecerit: quibus *Rachelius ambitum iuris gentium in unius cerebrum cogere, & auctoritate potius, quam ratione niti uoluerit*: decidet imposteri larua, si uagari cum discrimine alienae existimationis prohibeatur, & adigatur certum specialiter dicere, quibus indiciis, quibus momentis, quibus testibus innixus; *Puffendorfium, Sprengerum, Hornium* plagii & compilatorum alienorum scriniorum, alios aliorum criminum postulare tanta confidentia ausus sit. At enim, quis hoc ab obtrectatore uel exigat, uel extorqueat, ut ullius candoris de se suspicionem praebeat? Non est sycophantarum iste mos, crimen desiderare, rem ut definiant, nomine ut notent, argumento probent, teste confirment; cum nihil habeant propositi praeter contumeliam. Nec maledico mendaci desiderium est ad ueritatem uiam parare, sed obstruere; non auferre mendacia, sed colorare; non purgare

fla-

flagitia, sed nouis flagitiis uelare, aliosque in societa-
m uel praesidium scelerum rapere. Quis retulit
fami nebuloni, *Ius Heraldicum Speneri Gallicae*
acitati aut risum mouere aut bilem? An in
llia putat idem, quod in detestabili Parnasso suo, agi,
pera nondum in publicum edita nefario praeiudi-
damnentur, sicut ipse *Rachelii animaduersiones*
Grotium, quarum nihil prorsus, & *Heromontani*
um, cuius nihil praeter titulum uidit, improbissi-
ausu damnauit. An non satis in Gallicum no-
n iniuriae fuerat, *Auctores Diarii Eruditorum*
onsortium sceleris traxisse, & ab illorum exemplo
toritatem suae libidini esse mutuatum? Quos i-
s, certum est, institutum suum reprobaturos, ubi ui-
int, iter, quod innoxio proposito, cordatis subsidiis,
oritate publica, ad penetrale rarioris sapientiae a-
uerant, priuato ausu, sola barbarie comite, armatum
dacia, impudentia galeatum hunc alienae famae si-
ium turpi aemulatione uelut latrocinio infestare.
c enim aliter de damnato sanctissimis Legibus, &
ni honestiore disciplina, famosi libelli conatu pro-
nciari potest; quin quamdiu genuina rerum uo-
ula durabunt, uiri cordati pro conuiciis,
ledictis, calumniis abominentur, quaecunque, ad
dendam injuria bene meritorum & innocentium
mam, conficta mendacia in publicum spargentur.
uorum cum improbi magistelli paginae prorsus
anifestae sint; quid ab hoc monstro deinceps ex-
ectari fas sit, planum est iudicare. Minatur id ui-
ilentae linguae uenenum ulterius iis, quos relu-
ctanti eius furori turbulenta festinatio ad tempus

 sub-

ſignari? quod factum eſſe, ſi ignorat cenſor, ſtupidus eſt; ſin ſciens diſſimulat, peruerſus; ſin, quod uero ſimilius uidetur, peruerſitatem cum ſtupore miſcuit, monſtrum. Et certe mox clarius huius mixturae ſpecimen praebet; dum in aeſtimanda *Boecleri in Grotium commentatione* & extollendis *Zieglerianis* in idem opus *notis*, nihil inuenire potuit, quod *Ziegleri* laudibus adderet, niſi prius id *Boeclero* detraxiſſet. Ridiculus adulator! putauit hinc *Zieglerianis notis* pretium fore, ſi conſtaret, illas non poſſe cum *Boecleri curis* contendi, quam ſi *Boeclero* prius adimatur, quicquid eius inſtitutum & laborem, ipſius maledicentiae confeſſione, ſupra caeteros in *Grotium* commentatores euehit. Hinc excludendum fuit ab eo *ſtudium antiquitatis, elegantia ſtyli, peritia hiſtoriarum.* Quo exemplo inductus, ſi in *Zieglero* quoque *a neruoſa ſcribendi breuitate, & inſigni diuinarum humanarumque rerum notitia* receſſiſſet, procul dubio hic etiam, non ad *Boeclerianam menſuram*, ſed ad turbam recideret, notisque ſuis a tam turpi praeconio, tanquam ab aſini buccina, fruſtra licitatores expectaret. Eiusdem farinae ſunt non reliquae tantum importuniſſimae comparationes uirorum diſſimillimis ſtudiis operatorum, ſed inſuper illa monſtra iudiciorum, quibus non tam de aliorum ſcriptis iudicat, quam ſuā in iudicando barbariem manifeſtat: dum exactos ad ſtolidiſſimam cerebri ſui normam uiros eruditos, exinde ſecure damnat. *Conringius* ipſi *πολυπράγμων* eſt; quis miretur? aeſtimauerat quippe *Conringium Ludimagiſter* ex ingenii ſui anguſtiis, qua-

rum

rum ambitus, praeter exiguam scholasticarum nugarum supellectilem, nihil amplectitur. Itaque, cum ad cerebrum *Sarckmasii* omnis scientia res esset non magis pertinens, quam ad asinum lyra, *Conringium* quoque ab eruditionis reliquae tractatu, tanquam a re nihil ad eum pertinente, putauit Legibus coërcendum, In Boecleri *curis ad Tacitum*, *spiritum* desiderat: prorsus ad magistelli genium congrue: quem enim spiritum uspiam deprehenderet, sine mente, sine iudicio, sine spiritu stipes? *Alibi* frigiditatem in rebus, *alibi* ariditatem in dictione damnat: quid enim utcunque summo, tanto tamen calore adeo pertinaciter incalesceret, ut non ad frigidissimas niues tam febriculosi iudicii totum congeletur? Quid nares scholastico puluere atque foetore oppletae aliud ubicunque olfacerent, quam scholam & lacunas? *Alibi* honestam nominis & famae curam pro ambitione traducit, solidioris scientiae laudabilem tenacitatem pro superstitione exagitat: quoniam ipse gloriam putauerat, inter asinorum greges, tanquam ignauum & excors pecus, superstitem famae suae uitam agere. Alibi denique passim furorem, quem ipse intra sua praecordia conceperat, aliis imputat: ut palam fieret, eum iam ad ultimum insaniae gradum perductum, in imaginatione prodigiali sibi ipsi occurrere, & quicquid ipse delirat eius sibi in aliis speciem obiicere. Hinc *Tabori* & *Malcomesio meliorem precatur mentem*, qua caret ipse: *Schoockio* contractam ex morbo infirmitatem ingenii obiicit, ipse ualido corpore insapiens: *Hornii phrenesin ueretur*, ipse ut rabiosus non esse tantum, sed haberetur, summis uiribus annixus. Quod non eo scribo, ut

culpem tanquam absque ratione factum: quis unquam enim ab insano rationem requisiuit? Sed ut origo constet furiosae impudentiae, qua censor iste *nequam* in ea facinora, ob quae alios criminatur, non ueretur primus exemplo suo ruere. Vix *Conringio* πολυπραγμοσύνην impegerat, & in legem aliis dictam statim sine fronte delinquit, dum se litis alienae non rogatus participem facit, & uoluntarius iudex lectus ipse a se, altera tantum, immo si quid coniicio, neutra parte audita, contra *Conringium* sententiam pronuntiat. *Boeclerum* humanae conditionis admonet, cum ipse calumniandi rabie pridem hominem exuisset. Inuehitur in plagiariorum mores; & ipse interim ex *Schoockio, scriptore Eleutheropolitano, Pacifico a Lapide*, quorum plerosque modo acerbissime carpserat, totum *de Monzambano* iudicium secure describit. *Monzambano* Ipsi *Satyram, temerarium consilium, praecipitatum iudicium* uitio uertit, in quibus rebus ipse nomen quaerit & famam. *Burgoldensem audaciae, intempestiuae scribendi libertatis, dictatoriae animaduersionis*, dotium sibi ipsi propriarum, insimulat: & ipse interim summe temerarium audaciae exemplum designat, quo non *Burgoldensi* tantum, sed *Hornio* & aliis passim, in suo cerebro fata uitaeque rationem praescribit, & ad suam libidinem illorum uota uel adstringit, uel excogitat. *Lentulum* docere instituit, *quae Theologi, quae Politici* munia sint, cum ipse, *famosi libelli auctor*, declaret, se non a Theologi tantum & Politici, sed ab omni honesti uiri officio dudum degenerasse, *Rachelium infirmi iudicii, & in Tacito ner-*

uerſati parum hominis argumentum praebuiſſe, calumniatur, *quod Ciceronem Tacito antepoſuiſſet* : & eadem opera ipſe doctis argumentum praebet, non infirmi, ſed nullius iudicii, & nec in *Cicerone*, nec in *Tacito* ullatenus uerſati ſtipitis, quod in iis *Ciceroni Tacitum* anteponit, ad quorum uſum *Ciceronem Rachelius* adeo eminenter commendauerat. A quo ſtupore uix reſpirauit, cum ad notandos aeui & iuuentutis corruptae mores tam alto ſupercilio accingitur, ut *Catonem* tecum loqui diceres, non *Schurtzfleiſchium:* niſi hoc tam aperto peruerſae indolis pignore oſtendiſſet, ſibi ſemper inde ab infantia propoſitum fuiſſe, non *ad controuerſias*, ſed ad infeliciſſimas artes calumniandi *properare*: *non ineptias diſcere* ; ſed confingendis & diſſeminandis mendaciis ingenium atque induſtriam exercere: *literas humaniores non ſpernere*, *non negligere*; ſed conuiciis, furore, rabie, ipſis denique, quod grauiſſimum eſt, uitae ſuae probris inſectari. Hinc *Martinium, inficetus in Tragoedia comicus*, cauillatur, in *refutando ſcripto Gallico, Gallicae linguae peritiam iactaſſe*; & ipſe non ueretur alibi uerſiones ex Gallico & Italico idiomate factas cenſura ſua damnare : Dignus, qui de *ubertate Italica*, & *ſuauitate Romana*, forte non Italica, iudicium ferat, ſi Italicae linguae rudis eſt; ſin peritus, quin proſpicit, ne Italus Pſeudogermanum expellat aut excutiat. *Puffendorfium Regum & Principum fauore ſubnixum* fatetur, *& ob id ſatis laudatum*; & tamen eum non cunctatur turpiſſimo plagii crimine infamare ; quod

eo minus mirum eſt, quoniam iam antea palam fecerat, quam Imperatorii, Regii, Principalis fauoris rationem haberet, quando *Boeclerum*, *Conringium*, & alios eo fauore ſubnixos, non paſſus tamen eſt, tam illuſtri praeſidio a morſibus ſuis, *canis uirulentus*, tutos eſſe. Hoc tam infame inſtitutum deinceps quoque tot tamque manifeſto probroſis exemplis perſequitur, ut & Tuo, NOBILISSIME DOMINE, & meo ſimul otio uideri poſſim abuti, ſi diutius iis recenſendis inſiſterem. Et inſuper, quanquam in hoc inſolentiae genere ſtolida peruerſitas maledici calumniatoris non habeat, quo creſcat amplius; longe tamen ab eius in mentiendo impudentia, & infamandi per mendacia doctorum uirorum ſcripta uitamque libidine uincitur. Dummodo impudenter effutiat, quae malitioſe confinxit, iam exiſtimationis ſuae ſecurus eſt, de qua cum nihil haberet, quod perderet, omnia ſe putauit ſine famae detrimento facere poſſe. Legat quis illa ſolum mendacia, quibus aggreſſus eſt *Boecleri* famam lacerare, tam cruda tamque craſſa, ut palpare queat, qui modo album nouit a nigro diſcernere; ſi diſſimilem a calumniatore animum gerit, facile deprehendit, quae in caeteris, manifeſtae fraudis conuicto, fides adhibenda ſit. Toto animo deteſtabitur effrenem audaciam ſycophantae, tam foede Lectoris oculis abuti conſtituentis, quam turpiter ipſius ſtupore fuerant abuſi, qui ſe *Boecleri* familiares mentiebantur. Quorum relatus illi ſatis eſt, ut contra propriam conſcientiam latret: *Boeclerum ex commentariis magis, quam ingenio ſapere, famamque longo tempore collectam*

ctam plus semel praesentia minuisse. Quasi styli nitor, tersa eloquentia, diuina iudicii uis, & illae tot reliquae, tam eximiae dotes, quas ne ipsum quidem os calumniae *Boeclero* detrahere ausum est, res essent, quae pro sapientia commentariis adstricta contemni queat, nisi ab iis, qui cum censore nequam ex ingenio simul & commentariis desipiunt: uel quae partam illustribus meritis famam apud quenquam patiuntur praesentia minui: nisi apud similes *Schurtzfleischio* fumorum captatores & uenundatores, qui a uiris magnis paria illorum famae supercilia expectant: ubi externum fucum, quo ipsi consueuerunt incautioribus imponere, non deprehendunt, argumentum sibi praebitum opinantur & ius carpendi famam eruditorum; parum sua interesse arbitrantium, quo loco, quoue pretio in ardelionum conciliis habeantur. Nec enim in alia schola, quam in agyrtarum gregibus, eruditos credere possum illos Politicos, qui cuiquam uitio uertunt, in publicis negotiis tractandis non desertis partium suarum castris studiisque, transfugam aut praeuaricatorem egisse: qui obsequia principibus suis debita, inter aliena & aliis relinquenda numerant: qui ex eo, quod alii dextre officio suo functi sunt, uel offenduntur ipsi, uel cuiquam repurgatae religioni addictorum offensam contractam suspicantur, in re nihil ad religionem attinente. Hi, nemine uel mirante, uel indignante, crediderint, & conuicientur uicissim, *Boeclerum negotiis publicis, in quibus parum fuerit uersatus, se immiscuisse:* quos satis est in conscientia summorum Principum mendacii conuinci, qui licitum sibi

putauerunt, non interrogatis *Parnassi Sarckmasiani* suffragiis, *Boecleri* uel operam sibi addicere uel consiliis uti. Hi sibi & aliis palpum conentur obtrudere, ut credant & persuadeant inuicem, *in Vindiciis Vindicatis ius propriorum hominum male defendi*: in quibus manifesto prorsus oppugnatur. Quis post hoc exemplum dubitauerit, quin idem illi sit euenturum; si consignare atq; ostendere loca teneatur, quibus *Boeclerus res morum tractet frigide, controuersias iuris naturalis & gentium definiat perplexe, decidat dubitanter:* quibus *Berneggerus* (cuius cineres infaustus bubo sepulchro erutos lacessit, *iniquae Pacis Pragensis censurae, rerumq; imperii imperitiae* se rerum fecerit: quibus *Rachelius ambitum iuris gentium in unius cerebrum cogere, & auctoritate potius, quam ratione niti uoluerit*: decidet imposteri larua, si uagari cum discrimine alienae existimationis prohibeatur, & adigatur certum specialiter dicere, quibus indiciis, quibus momentis, quibus testibus innixus; *Puffendorfium, Sprengerum, Hornium* plagii & compilatorum alienorum scriniorum, alios aliorum criminum postulare tanta confidentia ausus sit. At enim, quis hoc ab obtrectatore uel exigat, uel extorqueat, ut ullius candoris de se suspicionem praebeat? Non est sycophantarum iste mos, crimen desiderare, rem ut definiant, nomine ut notent, argumento probent, teste confirment; cum nihil habeant propositi praeter contumeliam. Nec maledico mendaci desiderium est ad ueritatem uiam parare, sed obstruere; non auferre mendacia, sed colorare; non purgare

fla-

flagitia, ſed nouis flagitiis uelare, alioſque in ſocietatem uel praeſidium ſcelerum rapere. Quis retulit infami nebuloni, *Ius Heraldicum Speneri Gallicae ſagacitati aut riſum mouere aut bilem*? An in Gallia putat idem, quod in deteſtabili Parnaſſo ſuo, agi, ut opera nondum in publicum edita nefario praeiudicio damnentur, ſicut ipſe *Rachelii animaduerſiones in Grotium*, quarum nihil prorſus, & *Heromontani librum*, cuius nihil praeter titulum uidit, improbiſſimo auſu damnauit. An non ſatis in Gallicum nomen iniuriae fuerat, *Auctores Diarii Eruditorum* in conſortium ſceleris traxiſſe, & ab illorum exemplo auctoritatem ſuae libidini eſſe mutuatum? Quos ipſos, certum eſt, inſtitutum ſuum reprobaturos, ubi uiderint, iter, quod innoxio propoſito, cordatis ſubſidiis, auctoritate publica, ad penetrale rarioris ſapientiae aperuerant, priuato auſu, ſola barbarie comite, armatum audacia, impudentia galeatum hunc alienae famae ſicarium turpi aemulatione uelut latrocinio infeſtare. Nec enim aliter de damnato ſanctiſſimis Legibus, & omni honeſtiore diſciplina, famoſi libelli conatu pronunciari poteſt; quin quamdiu genuina rerum uocabula durabunt, uiri cordati pro conuiciis, maledictis, calumniis abominentur, quaecunque, ad laedendam injuria bene meritorum & innocentium famam, conficta mendacia in publicum ſpargentur. Quorum cum improbi magiſtelli paginae prorſus manifeſtae ſint; quid ab hoc monſtro deinceps expectari fas ſit, planum eſt iudicare. Minatur id uirulentae linguae uenenum ulterius iis, quos reluctanti eius furori turbulenta feſtinatio ad tempus

ſubduxit. Non enim poteſt ea natura, quae ſemel pudori nuntium miſit, uno ſcelere eſſe contenta: neceſſe eſt ſemper aliquid eiusmodi moliatur: neceſſe eſt in ſimili audacia furoreque uerſetur. Utcunque monſtroſus in poſterum ab hac uipera foetus prodierit, expectatione minor erit, quam hoc primo ſpecimine de portentoſae malignitatis ingenio ſuo concitauit. Conuicietur denuo, maledicat, calumnietur, bonos centumeliis, doctos probris, innocentes criminationibus inceſſet: Id ego non mirabor illum nebulonem facere; quid enim aliud faciat ſycophanta? illud potius mirabor, ſi uiri in illis locis magni conniuendo pati poſſint, tot clara nomina uirorum de literis optime meritorum, impuriſſimi nebulonis calamo uiolari. An enim non ſentiunt, furentes & uiolentos perditi profligatique hominis impetus in ipſos quoque poſſe conuerti: a quibus quae præſidia deinceps quenquam tutum praeſtabunt? Poſtquam tam aperto exemplo proditum eſt, non innocentiam cuiquam, non ſumma merita, non teſtatum publice coronatorum capitum fauorem, non ipſum denique mortis aſylum, contra rabioſos morſus uirulentae belluae, ſatis firmum munimentum praeſtitiſſe. Facile quidem emittitur, facile excipitur calumnia: ſed pernicioſa exempla plerumque in eorum contumeliam erumpunt euaduntque, a quibus uel fouentur, uel amantur. Tanto maiore cum ignominia, quod ne immeriti quidem has uices experiri uidentur, qui ſtructas bonorum famae inſidias, ſi non alia re, conniuentibus tamen oculis aut uana

ma-

malignaque credulitate promouerunt. Quorum studia quandoquidem scio quam generosa indignatione detesteris, *VIR NOBILISSIME*, iniuria Tui candoris fuerit, si Tibi hoc meum iudicium uerbis probare laborem: quod postulanti perscribere Tibi debui, si porro uolui is esse, quem probatus inter amicos candor Tuo in posterum fauori commendet &c, Dab. Lugdun. d. 10. Mart. 1669.

N. A. T.

reuerenter deditus

O. A. S.

EPISTOLA III.

siue

COPIA nouissime annexa.

EX quo tempore, a Iudiciis & Induciis plusquam satis notus Umbraticus ille doctor ambitionis nescio qua prurigine actus, seu, quod clarescendi studio sibi nobiles inimicitias deposcat, in arenam prodiit eo ipso sane non unum inter uiuos nactus est aduersarium (castigatorem dixero) nullum, quorum memoria utut immortalibus posterorum animis satis superque sit impressa, qui in eo esset, ut Manes beatorum in suis sepulchris lacessitos hactenus defenderet; ne uero oculis insipientium mortui uideantur, non committam, quin ad desiderium tuum (Tit.) *Tuba Berneggeriana* iterum iterumque resonet, editura concentum non minori efficacia, quam

nii eſt, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere; & eſt argumentum recti, malis & malorum eximio *Sarckmaſio* diſplicere.

DYAS EPISTOLARVM RECENTIVM.

Virorum Nobiliſſime,

Quae nuper de *Nobiliſſimo Sarckmaſio* ad Te, ea peſſima, iſtius iam confirmabit pertinacia. Mitto *Initia Vindiciarum* (iniuriarum, dixero) peſſima Vindicis peſſimi; ſed forte --- *dabit Deus his quoque finem.* Lucifuga Blatta *Xauierii Parani* laruam ſibi aptat, & ναύ φρακτιν βλέπει optimo *Spenero*, & *Clariſſimo Lentulo* oleum in ore ferre uidetur *Marullus*; *Boeclerum* uero immane quantum exagitet: Nec *Burgoldenſis ſatyra* uoracem exſaturauit. Cynicos mitto. Sed horum animorum excelſitas, ſcurrae ſiniſteritatem multis relinquet poſt ſe paraſangis. Et quo magis ſe ſorex prodat, & prodigus aliorum optimorum optimae famae, *Zieglerum*, quem ad Helicen uſque extulerat, ad auernum detrudit ſtygius defenſor. Quare,

---Crimine ab uno,
Diſce omnes ---

Tuam interim expecto ἐπίκρισιν, & Te Tutelari omnipotenti trado, qui ualeas faueaſque.

T. T.

B.

Nobiliſſime Amicorum B.

Iſta peſſimorum peſſima eſt malitia, uitia uitiis cu-

cumulare. Nondum omne eructauit foedissima Mephitis, & audacter calumniatur, quia semper aliquid hærere opinatur. Mel in ore, uel in corde circumferri acutior uidebit. *Spenero* & *Lentulo* blanditur, quo acrius *Boeclero* insultare queat. SVRLECOBIVS misello logodaedalo pro Nasturtio helleborum porriget. Nec *Zieglerus* Proteum impune abire siuerit. Dum blatero de Sarckmasianis nugatur Commentariis χρηστόλογον agit. Sed cur sui Mineruam ducturae amaracinum porrigo? stolido iuxta stoliditatem erat hoc offerendum. Tu uero Amicorum Optime, antidoto puriorum munite Musarum, isto non inficiere contagio, sed melior ualebis e tuo & meo uoto, fauebisque.

Tuo toti

G. D. F.

FINIS.

VII. SATYRA IN EVBVLVM THEOSDATVM SARCKMASIVM TOTIVS EVROPAE

Famigeratissimum Magistellulum, & Satyricum, nugas iam in Parnasso uendentem, conscripta per *Theophilum, Franciscum, Conradum, Andream, Victorinum, Fridericum de Francimont*, (*b*) Franckenhuso-Frisium.

Cicero in Sallust. Carere debet omni uitio; qui in alium paratus est dicere.

ALBIPOLI. Apud Esurium Slagmasium Kreckken: in uico Purgatorii: ad insigne Castigationis Anno MDC LXIX. 4. Cl.

(*b*) Varius Satyrae huius autor est *Oldenburgerus*. Vid. *Placcius* l. c. Annexa est alias haec Satyra Itinerario Germaniae Politico *Constantini Germanici*.

Cicero l. 3. Tuſcul. Quaeſt. *Eſt proprium ſtultitiae aliena uitia cernere, obliuiſci ſuorum.*

Eſto quod es, & quod ſunt alii, ſine quemlibet eſſe. quod non es, notis, quod potes eſſe uelis.

Benedictis qui certat, audit bene: Qui autem pergit dicere, quae uult, ea, quae non uult, audiet.

OMNIBVS MODERATIS DOMINIS
Lectoribus
Cuiuscunque conditionis, ordinis & gradus ſint

S. P.

PRodiit nuper ſatyricum ſcriptum *Eubuli Theoſdati Sarckmaſii* hominis uentoſi, *iudicia de nouiſſimis prudentiae Ciuilis Scriptoribus ex Parnaſſo* Poetico ſane & fictitio, *exhibens*, in quo mirum quantum iſte homo honeſtos & graues uiros traducit, exagitat, diffamat, calumniatur, & quamuis in ſpeciem illos etiam laudet, odunco tamen naſu omnes ſuſpendit. Deplorandum ſane hodiernae Reipublicae literariae malum, quod eruditorum optimae mentis cogitata adeo hoſtili & inimica irriſione ab hominibus eiusmodi male feriatis & ineptis plerumque, qui ii pro ipſi (ut ille apud *Sueton.* In Aug. Cap. 88.) ſcribere ſolent, excipiantur, exſibilentur, explodantur. Sci-

li-

licet nulla tam modesta hodie felicitas est, quae malignitatis dentes euitare, nihilque quicquam tam probe aut prouide dici potest, quod non uellicare, ac * Theonino dente carpere inuidus Momus possit.

Non omnibus unum est,
Quod placet. Hic spinas colligit, ille rosas.

Simul ac hodie libri, quamuis sat uberes fructus & pretiosa κειμήλια continentes prodeant, statim adsunt *Domini Nithardi*, qui aculeatis ac saeuidicis suis dicteriis eos protelant, moreque minime Christiano ac satyrico calumniis a Diabolo suggestis, proscindunt, iuxta illud *Eckhardi de Repkaw*:

Qui struit in calle multos habet, ille magistros.

Wer da bauet uff freyen Strassen,
Der muss die Leute reden lassen;
Koennen sie nicht alle dichten!
Wollen sie doch alle richten.

(†) Inter hosce nigros homines, turgidosque utres, hodie mihi excellere uidetur praedictus ille *Sarckmasius*, homo ultra sortem & crepidam suam audax, mira solertia siue potius calliditate uirus calumniae, quod hinc inde e sacciperio suo disseminat, tegens. Homo alias (si diis placet) satis doctus & ingeniosus, si modo domi cum suis reculis mansisset, ac *Parnassum Circaeum* nunquam intrasset. Imo uocarem illum Doctorem subtilem, nisi istam gloriam praereptam scirem. Miles ille gloriosus e *Martismon-*

te

* *Maledicentia hodie uirtutis nomen inducit*
† *Inuectiua oratio in Sarckmasium.*

te quamuis uehementer ac magno impetu spiret, Thrasonicus tamen Imperator in illo monte manet, ac uitiligator ille, Andabata, & pugil plumatilis dum partim bene iudicat, omnia tamen male agit, dum sarcastice omnes irridet, ac comica facie tristissimas excitat Tragoedias. Si quaeris in quo praedicamento sit ille homo? responsionem nullam possum dare aliam, quam quod neque in praedicamento substantiae, cum tantum pictam gerat faciem neque in praedicamento ullo accidentis sit. Tertium non datur. Nam.

Summus Aristoteles trudinando cacumina rerum
In duo diuisit, quicquid in orbe fuit.

Non est primum in praedicamento quantitatis, quia in Chimaerico homine quomodo potest locum habere extensio? Nec est porro in praedicamento qualitatis. Nam transposita in Nomine *Sarckmasii* litera M ante literam S ac dempta prima uirgula ab *m* fit *Sarckasinus*, a nomine *Silesiaco* parum distans. Quam uero qualitatem posset habere eiusmodi animal prae caeteris auritum? Multo minus poterit esse in praedicamento relationis, cum uxore adhuc (ut accepi) careat, nisi forsan habet spurios & incerto patre genitos. Ast

Cui pater est populus, non habet ille patrem.

Unde & spurii in iure ἀπάτορες dicuntur.

In praedicamento actionis similiter non est: Habet enim se pure passiue, ac misera illa mulier in uiros iam incidit. E reliquis praedicamentis etiam exclu-

cluditur, cum non sit in praedicamento substantiae, ut superius dictum: Ne quidem est in praedicamento *Vbi*: Vbinam enim gentium *Theosdatus Sarckmasius* uiueret? Forsan in *Martis monte*, aut in *Parnasso*? Caeterum ego eiusmodi loca in mappis Geographicis, quae hactenus prodierunt, reperire nondum potui, adeoq; in Vtopia fortassis noster lepidus simiolus siue Sciolus sedem suam fixit atque locauit. Hactenus *Sarckmasiū* per omnia praedicamenta examinauimus. So muss man solche *Kerls* durch die Praedicamenta iagen. Nunc laruam ipsi detrahemus, & hominem iam in orbis lumine ex ficto *Martis monte* collocabimus: Aiunt nasutum hunc censorem ac Midam auritum *Wittebergae* uiuere, cuius nomen iam consulto omitto. Si Familiae nomen mutare cuperet iste magistellus, miser ille passerculus, qui bene pipilare nouit, ego ipsum appellarem apposito nomine *Schurzfleisch* a Germanico nomine *Stürtzen*. Nam quando improba sua & mendaciis plena iudicia in cerebello suo effinxit, ac calamo commisit, omnia praecipitanter egit (*herausgestürtzet*) forsan ex Hamburgensi *iodoci Michaelis* cyatho (uocant *den Stürtzebecher*) aut ex alio Bacchi uase plus iusto bibit, quem dulcem liquorem *Albipoli* uocant (ni fallor) *Gukkuck*, atque ita uoce sua inepta se omnibus deridendum propinauit,

Quamuis per multos cuculus cantauerit annos,
Nescit adhuc aliud uerbum nisi dicere Guckkuck.

Grandibus quidem cothurnis incedere uidetur *Sarckmasius*, creditque uentosa sua iudicia tantam ha-

habere uim, ut omne id, quod lignum est, prae iis lapidescat, & opinio existat scientia. Caeterum more Andabatarum tantum pugnat, & aërem uerberat. Credimus uulgo septem solum in Graecia sapientes extitisse, sed nuper noster alastor octonarium numerum (scilicet) impleuit, & e Parnasso exiit, an excidit? imo credit hic arrogans homulus, nimium sibi indulgens somniaque sibi ipsi fingens, quod Phyllida iam solus, omnibus corriualibus exclusis, possideat. Sed ut oculus, qui per nebulam aquam inspicit, res metitur falso modo, sic animus tuus, *Sarckmasi*, per opinionis nubem. Quod si tu serio ad bonam mentem redire intenderes, deiiciendum erit tibi erronearum opinionum castellum, ut ii, qui tyrannidem sublatam e ciuitate uolunt, tollunt ante omnia euertuntque arcem. Sicuti equas in Hispania a uento fauonio concipere aiunt, sed foetu euanido: Ita & tu, *Sarkmasi*, austro blandientium opinionum grauidus, *Albipoli* serium nihil paris, sed ut tumidus tantum uter uentos fabularum & mendaciorum, hoc tuo scripto euaporasti. Tollis uacuum plus nimio gloria uerticem, propterea quod Sancto Concilio Parnassi interfueris:

Se solum Labienus amat, miratur, adorat:
Non modo se solum, se quoque solus amat.

Multi suffeni prolabuntur prudentiæ fiducia, & quemadmodum simiae prae nimia exosculatione suos enecant foetus: Et hac hominum aetate non solum qui amant, sed etiam qui oderunt ipsi sibi somnia fingunt. Etiam tu, *Sarckmasi*, rebus tuis tibi ita pla-

ces, tanquam Pater in filio, tibique persuades, te uirum esse, ac tibi nihil ad perfectum de rebus omnibus iudicium formandum deesse, teque iura, siue iura Turcici Caesaris, siue Tartarici Chami facta pensitare posse. * Amore tui plane caecus, nisi quod ipse fecisti, nihil rectum putas.

Quod nimium tua forma tibi, Narcisse, placebat,
In florem & noti est uersa stuporis olus.
Ingenii est marcor, cladesque, φιλαυτία doctos
Quae pessum plures datque deditque uiros.
Qui ueterum abiecta methodo, noua dogmata quaerunt,
† *Nilque suas praeter tradere phantasias.*

Sarckmasi! *Sarckmasi! Narmasi!* si me amas, debes, in posterum diligenter terere egregios libros, primum *Vossi* de cognitione sui, & *Ieremiae Dycke*, Pastoris Anglici, Nosce te ipsum, oder uom Selbst Betrug. In iis tanquam in speculo maculas animi ui aspicies, ad meliorem mentem te recipies, & sic ande m surculus, recte curatus, fiet arbor. Non debes mihi irasci, & bilem contra me mouere *Sarckmasi*, Necessitas & amor tui me ad hoc adigunt, imo asinus ad lyram si in puteum delabatur, licebit cuilibet

* *Philautia.*

† *Nosce te ipsum.*

bet illum etiam luce ſacra inde extrahere. *Vous deuez eſtre bien ſage*: Nam domum ſuam coërcere plerisque haud minus arduum eſt, quam prouinciam regere, quod te tanquam Apollineum Conſiliarium, nullo modo fugere poteſt aut debet, niſi forſitan in Tacito ignorantiae bonas horas hactenus male collocaſti,

Crimina qui cernunt aliorum, nec ſua cernunt,
Hi ſapiunt aliis, deſipiuntque ſibi.

Plane, mi Magiſtelle (nam aſellum arefactum, quem Galli uocant, *Vn petit Aſne qui eſt dé uenu ſec*, non oportet te ſalutare) oblitus es illam Pythicis oraculis adſcriptam uocem: *Noſce te.*

Tu non es tanti, ſis dignus, ut, Harpale, noſci.
Quaere aliquid dignum cognitione tua.
Ceſſet in alterius oculo reprehendere labem,
Qui ſolet in proprio lumine ferre trabem.

O Zoile (te, *Sarckmaſi*, intelligo) quam calumniaris in tuis *Parnaſſinis iudiciis* bonos & honeſtos uiros, & quidem id adeo implicite peragis, ut nihil unquam magis. Rectius naſum in poſterum locabis, ſi me audies; nempe

Vt tuus ad ſolem ſtatuatur naſus: hiante
Ore bene oſtendes dentibus hora quota eſt.

O noſce te ipſum! Wie biſtu ſo ſchwer zu ſtudi-

ren. Warlich die am allerbesten studiret haben, die haben dieses offt am allerliederligsten studiret.

Porro, mi *Sarckmasi*, inuidiae morbo quoque animus tuus laborat, quamuis illum in principio Satyrae tuae dissimules, cum tamen sine omni dubio non ignores, quod inuidia sit pestilens lues, quamuis * *Caspar Dornauius* encomio hanc liuidam & nigram Deam honestarit.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum.

Quod aliis bene est, inuidis male est. Aliorum florens fortuna est inuidorum spina, qua se ipsos pungunt, iuxta illud *Georgii de Fronsberg*, Maximiliani I. Imp. *militiae ducis*:

Ie mehr Feinde, ie mehr Glück.

Instar si flammae arderent corda inuida, sane.

Non tanto in pretio ligna cremanda forent.

Sarckmasi, si in corona bonoram Christianorum digne & cum laude sedere in posterum cupis, debes a te nigrae loliginis succum omnem propellere, neminem e fastigio suo despicere, nullius honoribus & commodis insidiari, ex animo omnibus uiris literatis bene cupere. Secus si facias & inuidiae uirus, uti coepisti, porro euomas, tanquam odio honesti inflammatus in furorem te ipsum ages, ac miser poenae incumbes tuae, dum taedet tui pigetque. Scire tamen debes, *Sarckmasi*, quod generosi equi non cu-

rent

* *Inuidia.*

rent latratus canum, & quod inuidorum linguas & leuia uerborum tela ſpernant, utpote cum bene cognitum habeant, quod miſerrima ſit fortuna, quae inimico caret, & quod gloriam antecedat depreſſio. Tu, inuide *Sarkmaſi*, & inſtar caprae bipedis, ſiue potius hirci, qui perpetua febri laborat, carpis omnia; cum interea te merum Podalirium eſſe credes, neque minus glorioſe de te & Parnaſſo tuo loquaris, quam ille in *Plauti* Menaechmis medicus, qui ſe ait obligaſſe crus fractum *Aeſculapio*, & *Apollini* brachium. Omnium uitiorum, quae in te, *Krackmaſi*, deprehendo, maximum eſt ambitio, licet & hanc aſtute uelis a te in principio & fine ſatyrae tuae declinare.

Quod nimium eſt, fugito, paruo gaudere momento;
Tuta magis eſt puppis modico quae flumine fertur.

Fama eſt, *Domine Sarckmaſi*, te Conſiliarii imo Cancellarii dignitatem in aulis Principum Germaniae affectare. Nollem id eſſe uerum.

Turpe eſt, quod nequeas capiti committere pondus,
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.
Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icarias nomine fecit aquas.
Qui fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas,
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?

Nempe quod hic alte demissus, at ille uolabat:
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi (SARCKMASI) bene qui latuit, bene uixit; & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique memor contrahe uela tui.
Uberiora ferunt ualles, breuioraque montes
Gramina: multum humilis mens sapit, alta parum.
Mens mons est, montisque cacumen mentis acumen:
Omne cacumen inops est, & acumen iners.

Aiunt, *Sarckmasi*, Professores Wittebergenses te, qui quintam eruditionis essentiam affectas, uehementer in deliciis olim habuisse, idque aegre tulisse Apollinem, cuius sancti Concilii membrum te fuisse gloriaris. Nuper mihi in somniis iucundissima species fuit de te, *Sarckmasi*, oblata, quam nunc tecum pro ualidissimo nostro amore communicabo. Vidi Apollinem in Choro Musarum deliberantem, quem nam in demortui Cancellarii sui locum sufficeret. Clamauit tergemina uoce uniuersum Concilium: Dignissimum ad tam sublime munus esse euehendum. Ergo quem censetis talem? requisiuit porro Mu-

Musarum Praeses. Ad ea unanimiter responderunt : Nuper in Parnasso comparuisse quantiuis pretii uirum, nomine *Sarckmasium*, supremam legem ParnassinaeReipublicae nunc exigere,ut tam uenustus, decorus, & literatissimus homo breui accersatur. Audi porro, *Sarckmasi*, quam egregie personam tuam Concilium Apollini depinxerit : Comam ipsi fuisse uberrimam & prolixam, cuius nitor splendidus, & quasi aureus color contra Solis aciem fulgurarit : spaciosam eminuisse frontem : Supercilia in speciem inter secti orbis incuruata decenter imminuisse oculis,atque hos tanquam duo sidera emicantes pro radiis sagittas emisisse,quibus nos,intuens fere occidisset Hic est o Apollo,Eminentisſime Praeses,quem nos amamus,quem nos exosculamur, quem nos,si iam adesset,ambabus manibus amplecteremur; Caeterum, sanctissime Praeses, nondum omnia accepisti; audi & caetera : Nasus ipsi subtus erat tenuis,atque in medietate paulatim se ad latera extendens, genas niueus candor, uerecundo quodam rubore permistus occupabat. Os minutulum, labia modica, corallinum colorem mentita, ac ueluti ambrosio rubore purpurantia,aequaliter prominebant : Dentes ipsi cristallinum imitati nullis spatiis intersecabantur : mentum admirandae suauitatis in ouicularem desinebat formam ; manus tenellas iuxta & candidissimas, in quibus nec gutta sanguinis promicabat, nec praeter albedinem alius coloris signum animaduerti poterat, nisi quod uenarum peramabilis & sub coerulea species se prodebat. Digiti graciles oblongulique insigni uenustate omnem fidem superabant. Corpus

ipſum quoque floridum, pulchrum ac decens conſpiciebatur; membra lucida teneraque, uelut e lacte melleque confecta, uidebantur; adeo ut ſine affectibus pauci, ſine ſtupore nemo, eum contemplaretur. Ex ore melli flua emanabant uerba, quae non Anglicum, ſed Angelicum tenorem referebant; eiusque oratione nihil eſſe dulcius, ipſa Peitho deieraſſet. Riſus eius ſuauiſſima uerecundia temperatus, nec rarus, nec frequens erat. Inceſſus lente cuiusdam agilitatis miſtura decoram maieſtatem repraeſentabat. Nec timidus apparebat, nec audax, ſed alacritatem uerecundia ſuauiſſime temperabat. Adeo omni gratiarum choro ſtipatus incedebat. Haec cum Muſae retuliſſent, Apollo grauiter repoſuit; Foeminam, non uirum, mihi hactenus depinxiſtis.

Sint procul a nobis iuuenes ut foemina compti,
Fine coli modico forma uirilis amat.

Munditiae mulieribus: Cancellariis labor conuenit. Raram facit miſturam cum ſapientia forma: Pulchritudo omnis ad integritatem morum, & aequitatem & innocentiam transferenda eſt, ſine quibus uirtutibus omnino eſt ex oculis uiri boni remouenda. Et quid ſi uenuſtiſſimus ille *Sarckmaſius* ſemper & perpetuo latera noſtra cingeret, quam facile uos, ut foeminae eſtis, decipere, ſertumque uirginitatis, quod hactenus illibatum conſeruaſtis, eripere poſſet. Quis uero poſt ruinam poſſet rurſus ſuſcitare uirgines? Ad ea Muſae: Ignoſce, Gratioſiſſime Domine Praeſes, quod adeo tibi obloquamur; Formoſa tamen *Sarckmaſii* facies muta commendatio eſt,

&

& egregia corporis ſpecies uulgo ſimulachrum mentis eſſe putatur figuraque probitatis. Et

Gratior eſt pulchro ueniens e corpore uirtus.

Magnis mentibus Deus digna corporum domicilia metatur, & uultu hominis decoreque membrorum colligi poteſt, quantus illos coeleſtes ſpiritus intrarit habitator. Rurſus Apollo: Errat qui dixit;

Gratior eſt pulchro ueniens e corpore uirtus;

Nullo enim honeſtamento eget, ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex caſa uir magnus exire; Poteſt & ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus. Eſt nigredo quædam felix, quae mentis candorem habet coniunctum. Deus etiam quoties ipſi placet, in exili uaſe ingentes theſauros recondere poteſt. Vt tamen uideatis quanta cura publicum Parnaſſi bonum promouère intendam, & etiam re ipſa nunc uideatis, me uos non tanquam mutas, ſed conſonantes perſonas iam ad hoc concilium aduocaſſe, ipſe iter nunc *Albipolim*, ubi hodie degit cariſſimus & ſincere dilectus noſter *Sarckmaſius*, ſuſcipiam, ac nihil non agam & moliar, ut ipſum Nomophylacem noſtrum conſtituam. Simul ac itaque Apollo ueſperi, paullo antequam clauderentur portae, *Albipolim* appulit,

Noxerat, & coelo fulgebat Luna ſereno,
Inter minora ſidera ---
Placidum carpebant feſſa ſoporem,
Corpora per terras, ſyluaeque & ſaeua *quierunt*
Aequora; cum medio uoluuntur ſidera lapſu,

Cum

Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque uolucres,
Quaeque locus late liquidos, quaeue aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti,
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Postquam itaque ad hospitium *Sarckmasii* peruenit Apollo, in Museo illius animaduertit ingentes clamores, armorum strepitum, ac iniuriarum ingens certamen. Accedens ergo suspenso gradu propius, Apollo uidit *Sarkmasium*, qui bibendi arbitrium capsauerat, prae omnibus insanientem, & sesquipedalia iniuriarum dicteria in reliquos euomentem, denique ita omnia agentem, ut inter lutulentum suum & *Sarckmasium* nihil interesset. Adstitit forte fortuna alius, ex quo apollo cursum uitae *Sarckmasianae* explorabat, qui libere fassus, *Sarckmasium* esse turbidum, inquieti ac pessimi commatis hominem, cuius morbos uix felicissimi alicuius *Machaonis* manus curare possit. Illum uidere meliora probareque, deteriora tamen semper sequi, adeo ut ipsum *Catilinam Albipolitanum* apellare minime uerear. Hominem praeterea esse ambitiosum & arrogantem, qui sibi imaginetur, se quinqueremes aut etiam maiora nauigia gubernare didicisse, cum tamen in minoribus nauigiis regendis reuera sit rudis. Hominem illum exsurgere in plantas, & in summis ambulare digitis, quo staturam adiuuet, & longior uideatur, quam est. Magistrum istum neque modo, neque mensura ulla se coercere, sed supra & iudicium & lectionem suam sese extendere, ut aliquid scire & ipse uideatur. Et cum sit speciosæ formae a *nymphis Albipolitanis* ipsum ue-

uehementer amari, in illarumque complexum ipsum saepius uenire, cereuisiam seruestanam, aut illam, quae a cuculo nomen habet, illum plus nimio bibere, Venereamque uoluptatem insigniter extollere nosse, ac, ut sibi quidem uidetur, Demostheneum illud poenitere magno dolore iam emere: Non ita pridem uirginem quandam ipsi florulentum fasciculum e uiolis misisse, ipsumque ex tempore puellae tale remisisse carmen:

Cur mittis uiolas nisi quod uiolentius urar?
Ah uiolos uiolis uis uiolenta tuis!

Plura dicere uolentem, interpellauit ipsum Apollo in hunc modum: Magnas tibi, amice ago gratias, quod adeo sincere & candide mihi *Sarckmasianos* mores penicillo tuo depinxeris: Constitueram hunc *Sarckmasium*, mihi a plurimis commendatum, proximum a me in Parnasso constituere, ipsumque omnibus Musis anteferre; Caeterum quia uideo in aurea uagina plumbeum gladium esse reconditum, muto iam mentem, ne lupum ouium custodem constituam, & mox uirgineas Musas uideam omnes constupratas. Qui duorum scalmorum nauiculam in portu euertit, quomodo is in Euxino Ponto Argonautarum nauem gubernabit?

Loco ignominiae est apud indignum dignitas, ac beneficium non pertinet ad eum, qui non potest gerere officium. In scenam nemo prodit, nisi histrionicam (*) probe meditatus: Nemo fidibus ludit, nisi qui Musicam teneat; quando magis oportet eos, qui

(*) *Muneribus qui digni sunt praesiciendi.*

pendes. Aliquando Nobilis Danus rustico dedit literas Hafniam ad regni Cancellarium deportandas. Quid fit? Rusticus domum Cancellarii intrans, quando neminem animaduertit ascendit scalas, uariaque conclauia aperta lustrans, cum nullum quoque offenderet, tandem peruenit ad spatiosum conclaue, ubi sedebat amictus & pileo indutus non *Q. Fabius Maximus*, sed animal, quod Fabiam appellamus, in omnibus gesticulationibus simiam fere repraesentans. Rusticus putans esse Cancellarium reuerenter & nudato capite illum accessit, ac animal quoque pileum capite detexit, & rursus capiti aptauit. Ille de stiua Corydon porrigit deinde literas, quas receptas Fabianus statim lacerauit, & uariis modis contorsit. Rusticus aliquid mali metuens ac continuo se rursus e domo proripiens ad Nobilem rediit, qui attonitum uidens hominem, quaesiuit an recte officio suo functus fuisset? ille cum affirmaret, nobilis iterum exquisiuit: quale ergo responsum refers? Ad ea miser; Dn. Cancellarium ualde fuisse iratum, ac literas porrectas statim comedisse. Nobilis comoediam illam facile animaduertens tandem didicit; insulsos & ridiculos homines nuncii munere fungi non posse. Non equidem te, *Sarckmasi*, cum irrationali hoc cancellarii Fabiam, quem rusticus talem putauit, comparem (honorem alias praefaret) hoc tamen dico, Te, quia magis in *Martis Monte*, ad lituum Martis, quam ad Apollinis lyram es factus, ad Cancellarii munus sustinendum plane esse ineptum: proinde cum credam, te esse Wormatiensem, optimum consilium iam tibi suggero,

gero, ut ficulos gerros, quas e Parnasso te accepisse stolide gloriaris, in posterum omittas, & in patria tua Wormatiensi domicilium ac sedem fortunarum tuarum in posterum constanter ac perpetuo figas atque loces. Quod si & hoc consilium tibi non placeat, suppedito tibi iam aliud, nempe ut *Sebastiani Brants* nauiculae stultorum (Narrenschiff) te committas, & *Albipolin* relinquens secundo fluuio *Albi* ad Anticyras nauiges, ibique mirabile caput tuum elleboro, quod uix in Germania inuenies, bene purges. Tum si redieris, credo quod non in Parnasso, sed in simiarum regno supremum gradum indipisci possis: Memineris tamen simiam semper manere simiam, licet aurea insignia ac uestes holoberas gestet. De tua persona, *Sarckmasi* simiole, satis me dixisse puto, atque ita satyram tibi dicatam finio. Accedo nunc breuiter ad uentosa tua iudicia, quae breuiter in nonnullis (in quibusdam rem acutangis) perstringam, infantiamque ac temeritatem tuam tibi ante oculos ponam. Faciam autem hoc per Laconismum, & quidem in illis tantum uiris, quos propius noui. Ubi generaliter praemittendum, quod primarium scopum habueris tibi praefixum, nempe: *calumniari audacter, semper aliquid haeret.* (*) In laudando (id quod tamen specietenus tantum facis) ubique & parcus, nummi premos (die Druckpfennig) in eo genere imitatus; in calumniando uero latissime euagandi tibi uiam facis. Scilicet, ut nunc sunt mores, orbem terrae calumnia inundauit; hæret & habitat in per-

uer-

(*) *Calumniae.*

uerſae huius naturae medullis; nec iam inter culpas cenſetur, ſed mores. Architecti calumniae praecipui, & quaſi parentes, ſunt Mendacium & inuidia: Curioſitas autem nutrix; uerumque eſt illud iuris Canonici: *Magni uiri omnibus complacere non poſſunt, & quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam*; famam unicum ſapientum theſaurum, puriſſimam uitae gemmam appetit calumniator aſſidue, & ſubtrahere aut maculare conatur omni fraude. Imo nihil inter homines eſt tam ſanctum, quod illi uirtutum ſandapilarii, & bonæ mentis tortores ſacrilego ore non contaminent; nihil tam honeſtum, quod non furialiter allatrent. Inter hos etiam tu, *Sarckmaſi*, nomen tuum ambitioſum profiteris, dum tibi nemo placet, cunctaque rubiginoſis tuis dentibus rodis. Miſelle! Dicam quid ſis? paruus culex, & tamen magnus ardelio, naſum Rhinocerotis habens. Demoſthenes literam R. canis mordacis iram denotantem, uix potuit, etiamſi praelia contra rerum naturam ſuſtineret, addiſcere: Tu uero, *Sarckmaſi*, ad illam cynico & mordaci animo proferendam, non doctus, ſed factus, non inſtitutus, ſed imbutus es. Fateor laudas non nullos inter eos, quos inter nouiſſimos ciuilis prudentiae ſcriptores refers: Caeterum eo ipſo non effugies tuorum iudiciorum alios iudices. Inſuper magnamini; & quibus robur & aes triplex circa pectus eſt, malunt uituperari, quam ab illaudatis laudari. Nam probari probis magnum probitatis eſt argumentum. Vt autem propius te accedam, quae primo loco de Magno *Conringio* noſtro, uiro

incomparabili, doctore ac praeceptore meo semper uenerabili, in medium affers, in iis dextras dextris iungimus. Est enim seculi nostri decus & gloria. Prudentiae ciuilis Doctor sine pari, & inprimis de Patria nostra adeo praeclare meritus, ut omnis Germanorum supra uulgus sapientium, posteritas in hunc semper intueri necesse habeat. De *Limnaeo* quod porro affers Nobiliss. & Excellentiss. *Dn. Conringii* iudicium ex rei ueritate itidem est depromptum. Caeterum, tu *Sarckmasi*, forsan breui uidebis aliam *Limnaei* faciem; adeoque auctor tibi sum, ut dentes tuos in futurum bene acuas, quo bene iterum mordere possint. Controuersiam *Dn. Taboris* cum *Dn. Conringio* quod attinet, laudarem quidem tuum iudicium, nisi Canino more tuo uerbis felle Licambeo tinctis illud ipsum in eruditum orbem intruderes. Inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione & periculis uacuum nondum didicisti. Non eris *Sarckmasi*, Christi Seruatoris nostri discipulus, nisi tria haec possideas: (1) Freundliche Geberden gegen iederman. (2) Ein Geist, so nicht hoch, und gantz ohne Stoltz ist. (3) so dann eine demuthige Seele.

Concidit Icariis, qui tendit ad ardua pennis
Mens humilis lento uertice surgit humo.

Porro Censor noster sine populi suffragio sarcasticum calamum suum stringit in Clarissimum & Famigeratissimum *Dn. Boeclerum*; primo illum laudat, mox per Satyram illum satis acriter perstringit: Cae-

terum non dubito, quin Argentinenſis ille egregius Doctor uirgas uirtutis domi facile ſit reperturus, quibus hunc petulantem & audacem Magiſtellum pro meritis poſſit excipere. Vitium ſane Diabolicum eſt in noſtro alaſtore *Sarckmaſio*, quod praeſentia adeo inuidia proſequatur. Ita

Virtutem incolumen odimus,
Sublatam; ex oculis quaerimus inuidi.

praeſentem uirtutem odimus, arcemus in abſentem O acies! o fulgor! nictant ad illius aſpectum mortalium palpebrae, & oculi ueluti radiis aeſtuantis ſolis tacti, triſte putant lumen, quod ubi amotum eſt, uidere geſtiunt. Quae autem aquilinus noſter cenſor de ſcriptis *Dn. Boecleri* contra sereniſſimi Electoris Palatini ius hominum propriorum affert, ea uero maiora non ſunt, & ego cum illo eiuſdem ſum mentis. *Dn. D. Caſparis Ziegleri* notas ad *Grotium* ego quoque maximi facio, eaſque amo, ut *Alexander M. Homerum*. Paria autem, ſi non maiora *Dn. Boeclerus* praeſtaret, ſi incoeptum ſuum opus ad *Grotium* ad umbilicum perduceret. Poſt *Dn. Boeclerum*. Cenſor noſter *Monzambani* ſatyricum ſcriptum de ſtatu imperii Germanici aggreditur, quod ab acrimonia ſua laudat, neque tamen hic uituperii notam effugit. Habet omnino iſte liber, quod non niſi cum ſtupore legere poſſis. Niſi ſcirem Germanum hunc edidiſſe, ab Italo illum eſſe compoſitum deierarem. *Dn. Schoockium* qui exercitationes ad illum ſcripſit, plane contemnit *Sarcmaſius*, quum tamen is minime laude ſua pri-

nan-

uandus. Habet enim non pauca, quae nemo nisi *Sarckmasius* spernit. Interim & ego in illo maiorem rerum Imperii nostri notitiam desidero.

Pacificus a Lapide solus est, quem clementer tractat *Sarckmasius*, sed qui *Monzambanum* insequitur *Burgoldensis*, in illum eo maior tempestas ualido fragore detonat: Vocat ipsum primo hominem ultra sortem audacem. Nimirum ille Magistellus hic non nouit distinguere inter audacem, & inter illum, qui intrepide nudam & simplicem ueritatem, ea tamen qua par est, modestia, in medium offert. Magistelle disce prius inter audaciam, & inter intrepidam & liberam ueri professionem distinguere, & tum redi. Quod *Burgoldensis* uero libere, aperte & candide, ut res sese habet, uoluerit scribere, in eo omnes cordati Publicistae nostrae Germaniae ipsum minime, ut credo, reprehendent. Amicus ipsi fuit *Plato*. amicus *Socrates*; sed amica magis praepotens ueritas, quae uisu & mora tandem ualescet. In *Limnaei* & *Conringii* potius, quam in *Reinkingii* castris militare ac praelia sustinere uoluit. In iure publico sane hodie plures sunt *Placentini*, *Fauentini*, quam *Veronenses*, siue inter *Laudem* & *Placentiam*, non autem *Veronam* uersus ambulare uolunt. *Burgoldensis* autem uerum amat, uerum uult sibi dici; mendacem & adulatorem odit; Recte. Nihil enim magis contrarium iustitiae & ueritati, quam falsum & mendacium. Et omnis Christianus sine ulla exceptione a mendacio alienus esse debet. Non est sane *Burgoldensis* qui ualeat facere

Can-

Candida de nigris, & de candentibus atra.
Asserit porro *Sarckmasius*, quod is saepissime minus recte de rebus Imperii iudicet. Caeterum non sufficit hoc ita nude tantum asserere: Loquere specialius, *Sarckmasi*, ut te uidere possim. Aeole, alias non opus est tuis flabris?

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quod spartanus olim ad lusciniam, idem ego ad te: Vox es, praeterea nihil. Si accusasse sufficit, nemo erit innocens, ait *Iulianus Apostata* apud *Ammianum Marcellinum* (lib. 18.) Non esse & non apparere, paria sunt. *Sarckmasi* saeuidicis tuis dictis putas ipsa rerum pondera contineri, credisque tibi conuenire rythmos illos Germanicos:

Hier stetb der Ruland und weiss Mann,
Der niemand nicht wohl weichen kan
Aus dem Wege. Denn hie kompt der Held,
Der überall behält das Feld.
Sarckmasius wolt Riesen hecken,
Vnd bracht ein Mäuslein für ein Gecken.

Omnia Censor noster admordet & pungit, adeoque non secus, ac Corydon aliquis, rursus non ungendus, sed pungendus erit, iuxta illud:

Vnguentem pungit, pungentem rusticus ungit.
Gloriosus tantum in sermonibus es Thraso, & si quis ex te quaereret: *Domine Iohannes*, quot sunt uenti? sesquipedalia sine dubio de hac nobili quaestione uerba faceres.

Sarckmasius schaut das Spiel mit an,
Vnd uerlacht nur iedermann,
Dass sie wenig Kegelschiessen;
Wenn sie ihm einen Wurff zuliessen,
All neun wolt er auff einmahl fällen;
Soll ers aber selbst ins Werck stellen,
So wirfft er fern uom gantzen Platz
Vnd macht keinen neuen Auffsatz.

Exprobrat porro *Sarckmasius Burgoldensi*, quod ex *Limnaeo, Conringio* & *aliis* sua composuerit, hosque tanquam fidelis comes secutus sit; immo putat ille homo quasi nihil proprio Marti *Burgoldensis* debeat. Sed rego primum ingenui animi esse, candide profiteri a quo profeceris: Sicuti contra plagium est, aliorum scrinia expilare, autores uero silentio praeterire. *Monzambanus* quid aliud fere est, nisi *Conringius* in Compendium redactus, si satyrica demas, & tamen raro *Conringio* allegationis honorem exhibet. Quis hodie *Aristotelem, Plinium, Athenaeum* plagii accusat, cum tamen sua aliis quidem non referant accepta, ab aliis tamen hauserint. (uid. *Laurent. Pignor.* l. 1. Symbol. Epist. 48.) Et quid est dictum hodie, quod non dictum sit prius?

Carpimus extremas uoces & uerba priorum
Priscorum qui nunc scribimus, Echo sumus.

Vulgata nouiter tractare licuit, semperque licebit. Vnde *Vincentius Lirinensis* (Part. I. Commonit.) praecepit recte; *Eadem, quae didicisti ita doce, ut,*

cum

cum dicas noue, non dicas noua. Et quae ſtoliditas eſt, *Sarckmaſi*, propter ea *Burgoldenſem* accuſare? Poteriſne tu ius Imperii publicum, & res in Imperio geſtas ex tuo cerebello effingere, niſi habeas Autores & hiſtoricos, quos fidelis comes ſequaris? Ad tuum cerebrum profecto Imperii norma nunquam erit dirigenda. Debebas etiam, *Sarckmaſi*, cogitare *Burgold.* apis more e uariis floribus mel excerpſiſſe, non uero mel ex aluearibus ſubduxiſſe: Laborum alienorum ſubreptor ſi eſſet *Burgold.*, furca dignum potuiſſes eum iudicare. Quod ſi tu, *Sarckmaſi*, haec non approbas, ab arrogantiae crimine uix te liberare potero, manebiſque Thraſo, ut ante dixi. Et quomodo ſine auctoribus & ducibus quis poſſet feliciter in re literaria progredi? Dic ſodes, ſi uir es; ſi foemina, taceas in eccleſia; ſi androgynus, & hermaphroditus, ſimiliter debes os tuum uentoſum opprimere. Allatrat porro ſtylum *Burgoldenſis*, *Sarckmaſius* incuriam notat, & neſcio quid non? ſtylum quod attinet, credo quod ſatis argumento operis conueniat: Non enim ſibi propoſuit inutilem & faſtidioſum dicendi ornatum huc afferre, nec in ſcenam prodire, ut *Sarckmaſius*, qui ſine dubio perſonam iocoſerii ſtulti (des Pickelherings) eleganter ageret. Limam, quam deſiderat *Sarckmaſius* in nonnullis, ego quoque deſidero, ut & multa quae adulteriorem illuſtrationem Sanctionis Weſtphalicae faciunt. Sed tu *Sarckmaſi*, certo tibi perſuadeas, quod omnis iſte labor *Burgoldenſis* intra quatuor menſes (ita me Deus amet! Noui

 enim

enim rem omnem) in peregrinis oris prodierit, & quidem uelut ad postam, conscriptus sit, ita ut Autori ipsi festinanter omnia exaranti multa tum exciderent, quae aliquando limatius & politius edet, si in patriam redierit. Et iam habet secum Manuscripta (ut percepi) dupla uice Discursus editos superantia, quae si prodibunt, uix autem in Galliis (ut existimo) fiet, *Sarckmasius* forte parum habebit, quod desiderare possit. Quod multa tam male cohaereant in illo opere, ut perhibet, *Sarckmasius* Magistellus, hoc non debet Auctori, sed typographis imputare, qui saepe integras lineas omiserunt, & angustiis illorum temporum, quibus impeditus Auctor, ipse Episcopus esse non poterat. Multa sane præpostero ordine posuerunt typographi, forsan quia MS, non tam bene, ob multa in margine annotata, percipere potuerunt, ut iam nihil dicam de innumeris fere erratis, quae tamen discreti animi Lector ipse facile deprehendere poterit, v. g. quando p. 1. in Disc, de *Christina Sueciae Regina* extat; Homo latae conscientiae. i. e. nulla; scribi debebat nullius, *Sarckmasius* tamen dum tanquam iudex inexorabilis dictitat sententias, *Spirense* specillum sibi prius aptare debuisset. *Burgoldensem* summum amicum meum, uehementer porro pupugit, quod impudentissimus *Sarckmasius* scribere haut fuerit ueritus, quasi is alterum *Forstnerum* in Germania reddere conetur, item quod in *Aula Seren. Ducis Wurtenberg* summum gradum affectet; insuperque *Dn. Pufendorfio* Heidelb. succedere praeoptet. Reuera, Domine

Sarck-

Sarckmasi, Aeolo uentorum Deo in proximo gradu coniuncte, insignem iniuriam hic ebuccinas famamque & existimationem illius, tanquam lilium, suauem referens odorem, mirum quantum denigeras, adeoque tibi, *Sarckmasi*, nullas gratias habeo, imo Deum ultorem tibi delego, quod adeo sarcastico ac insulso stylo tuo uiros probos & honestos stringere haut fueris ueritus. Nouit *Burgoldensis* metiri se suo modulo & pede, & ideo magis facit, quo plus ad hoc impellit infirmitatis conscientia. Intentio illius est, quod uelit uiuere Deo, qui Auctor uitae; quod uelit uiuere famae, quae uita uitae: quod uelit uiuere conscientiae, quae uita post uitam, patriae quoque non deerit, pro qua uiuere, quam mori, dulcius existimat. Credidisti hic nimium stultae & erranti famae, quam sane *Dn. Fama* Mercator Francofurtensis tibi non suggessit. Habet *Burgoldensis* semper in memoria Symbolum *Wilhelmi Hassiae-Landgrauii:*

Quod mibi cunque bonum Rex cuncti destinat orbis,
Nulla interuerti calliditate potest.
Was Gott beschert, Bleibt unuerwehrt
Qui sapienter agit, recte praesentia curat.
Commendans placida mente futura Deo.
Nam sua sufficiens afflictio cuique diei est
Inuenietque suum crastina cura locum,
Dormit adhuc mea sors: tristes recedite curae:
Surget adhuc mea sors. tu mibi, Christe faue.

Quae dein, *Sarckmasi*, in laudem *Burgoldensis* con-

congeris plane non attendo, utpote cum tuum Satyricum ingenium norim. Conuertis uela tua etiam in *Dn. Lentulum*, *Dn. Rachelium*, *Dn. Martini*, *Dn. Pufendorf*, & *alios*, qui tibi sine dubio breui, si modo mereris, oculum pro oculo, dentem pro dente reddent. Plurimum Reuerendum & Excellentissimum Theologum *Dn. Phil. Iacob. Spenerum* quod adeo contemnas, *Sarckmasi* Satyre, & antepenultimum in ordine facias, in eo uirus animi tui prodis, ut facile iudicare liceat, cuius spiritus filius sis. *Dn. Georgium Hornium* summum uirum. caue ne Lugduni Batauorum conuenias. Nam is multos iam antehac deuorauit asinos, & uereor ne etiam te comedat. Nosti enim Martialem animum illius Viri, quem ego admiror, tu uero contemnis. Hactenus *Sarckmasi*, frigidam bilem tuam optima sane intentione tibi commouere uolui, imo debui, ut mirabile caput tuum paululum in gyrum rectae rationis reducerem. Institisti hactenus illam uiam, qua olim Gigantes affectarunt coelum. Omnes illi, quos Satyrico tuo scripto laesisti, te tanquam Christiani orant, ut in posterum taceas. Quod ni fiet, ad Minois tribunal, te *Sarckmasi*, uocabunt, ibique tibi iuxta famosam. *L. Diffamari* aeternum imponent silentium. Quod si nihilominus in maledicentia tua perges, iuxta *L. Rhemmiam* tibi, tanquam calumniatori cippus in fronte inuretur sub litera K. Hisce uale *Sarckmasi*, & quia uoluisti satyram emittere, satyram rursus accipe. Par pari enim erat referendum, quod te morderet. Dabam *Albipoli* d. 30. Decimi tertii Mensis hoc anno.

VIII.

VIII. INITIA VINDICIARUM (a)

Quas
pro
E. T. SARCKMASIO
suscepit
& ad
diluendas quorundam
iniquas, iuxtaque confictas insectationes
comparauit
XAVIERIUS PARANUS, (b)
scurrilis dicacitatis osor maximus
Salust. de R. O. II.
Demptis obtrectationibus, ipsa se uirtus (innocentia) magis magisque extollit.
A. CIↃ IↃC LXIX.

Leouardiae (c)
Impressit *Verius Willebord.*

§. 1.

(a) Doctissima C. Gr. manus sequens exemplari suo, iam meo, apposuit Epigramma:

Quisquis es, infamem excudere fine mente, libellum,
Cudisti capiti pessima quaequae Tuo.
Et merito. Nam qui cunctis male dicta propinat
Supplicia a cunctis is quoque mala feret. factum d. 22. Iun. 1669.

(b) Idem est B. *Conradus Samuel Schurtzfleischius.* Vid. eiusdem Notae num. IV.

(c) Lipsienses typi sudarunt in describendis his Vindiciis, ac binae quidem eodem tempore officinae, *Michaelis* & *Spoereli*, it. *Io. Georgii.* Curauit *Laur. Sigism. Cornerus.* Idem C. Gr. haec annotauit.

§. 1.

VEnienti per hoc tempus in officinam librariam chartae offeruntur acerbitatis plenae. Initio subit mirari iracundas istas & uehementes disceptationes. Mox colligo animum & recordor, ueterem amicum nouis litibus implicatum. Altius in animum penetrabat, & uel inuitum ad defensionem eius suscipiendam me stimulabat. Non quod dubitarem, amicum his praesidiis instructum, quibus uindicari existimatio possit; sed quia id ad augendam ueterem amicitiam pertinere existimabam. Caeterum hoc aggressuro non placet criminari, quippe quod aut cerebri parum sani, aut animi certe contentiosi ac parum sedati est. Itaque detestor eorum morem, qui alios iam criminosa oratione insectantur. iam fictis conquisitisque uitiis deformare pessime enituntur. Quod tametsi mihi quoque facere in expedito fuerat, tamen mitto sordidum illud obtrectandi cacoethes, ut casta mente indignum non daturus calumniae speciem sed modestiae. Verba canina relinquo *Cynicae sectae*. Cui neque ego, neque *Sarckmasius* unquam nomen dedit. Fallunt, qui aliter de eo sentiunt; falluntur, qui perperam sentientibus habent fidem. Verniles quidem, neque id diffitebor, blanditias abominatur, sed ueritatem amplectitur & colit. Dicta sapientum magni aestimat, sed pro oraculis forte non uenditat. Suspicit literatos, ut quaedam sapientiae lumina, sed in loco Numinum hactenus non habuit, iam olim persuasus, a Republica literaria dominatum abesse oportere; Principes etiam, si qui esse uolunt, ut certe sunt, non cogendo,

sed

ſed monendo demum muneris ſui fidem impleturos, exiſtimat. Nunc age uideamus de ipſa concertatione: at ſine ſanguine & metu diſcerpendi. Non enim quisquam tam crudelis erit, ut mitiſſimum hominem ſauciat, nedum dilaniet. Procul hinc erit, quicquid ad ſaeuitiam ſpectabit & lanienam.

§.2. Defixo in his chartis, prius occurrebat *Lentuli defenſor*, cui optaſſem benigniora auſpicia coepti ſermonis. Sed ille defenſoris torrens, dum uirus metuit, parum abeſt, quin illud effundat. Iudicatum de *Lentulo* eſt, ſed non ex antro Curi, ut omnibus bonis, ita & mihi & *Sarckmaſio* ſemper inuiſi. Abeat Vulcani proles, & faceſſat hinc famulitium Euandri. Scripſit *Sarckmaſius* de *Lentulo*, non ut hoſtis, ſed ut ingenuus cenſor, neque ideo, quod oderit, ſed quia dignum habuit, quem in clariſſimis numeraret uiris. Quo animo dum erat, neque laudi eius inuidebat, nec labori. Delectu tamen opus eſſe cenſebat, quod uideret, alios aliis in rebus excellere, in aliis deficere. Proinde ueneratur illum & colit, ſed usque ad aram ueritatis. De Pythone quod inſerit, ad ipſum non pertinet. Nil enim ipſi cum eo commune eſt. Dracones quoque & ſcorpiones fugit, ut peſtem. Tum uero praeter meritum defenſoris reprehenſionem incurrit, quod dictum *Velleii* longe alio ſenſu uſurpauerit, atque *Velleius*. Sed forte noua illa Criſis eſt, auctori ſuo relinquenda. Cenſuram uiuorum nil aliud hic interpretor cum amico, quam iudicium de uiuis. Nec aliter interpretantur *Velleiani Commentatores*. Quod *de proteſtatione facto contraria* (haec enim defenſoris ele-

elegantia eſt) obiicitur, non multum ad rem facit. Enim uero ſine calumnia dotes ingenii diſcernere licuit hactenus, & in poſterum licebit ſed abſtinebit eo inſtituto amicus, quietis cupidior, quam capitalium horum odiorum. Quod de peregrinationis gloria obtendit defenſor, non negat *Sarckmaſius* nec tamen diſſimulat inter peregrinantes alterum altero experiendo feliciorem eſſe poſſe. Nullo hic Oedipo, nullo Conciliatore opus eſt. Quod addit, artem imperandi ex Curiis & tribunalibus iuri dicundo conſecratis non poſſe hauriri, minime diſſentiet, opinor, *Sarckmaſius*. Neque is tam abſurdus unquam fuit, ut aliter doceret, aliter ſentiret. Affingitur illi, quicquid diuerſi imputatur. Sed iudex uoluit eſſe *Sarckmaſius*, praeſertim tantorum in Republica literaria uirorum? uerum eſt, neque id diffitebor, plurimos ita ſuſpicari. At ut longe alia mens amici fuit, cogitantis, etiam olitores ſaepe opportunos in magna fortuna monitores fuiſſe. Nulli ius dicere, nulli legem ferre ſategit, tenuitatis ſuae memor. In poſterum quoque hoc tam inuiſo plurimis conatu ſuperſedebit, nullam litigandi occaſionem daturus. De laudibus *Lentulanis* ſciat ille uindex, amicum non inuitum ſcripſiſſe, quae ſcripſit eius honori. Nec celare tamen uoluiſſe, quae diſplicerent. Proinde nolit indignari, quod in quibusdam ab eo, ſalua uiri laude, diſceſſerit. Nam modeſte a uiris doctiſſimis diſſentire, nullum crimen, nullum capitale, nullum piaculum eſt. In quam rem pleraque allegarem, ſi diſſertationem ſcribere hiſtoricam inſtituiſſem. Sed nolim noui certaminis cauſam

ſam

ſam praebere, contentus monuiſſe, *Lentulo*, eruditiſſimi uiri palmam, deferendam eſſe. Vt adeo non mirum uindici eſſe debeat, cur *Sarckmaſius* plus ſimplici uice ipſum laudauerit. Laudauit enim, quae merebantur laudem. Quod de iuris publici peritia gloriatur Vindex, id aliorum exiſtimationi non debet eſſe fraudi. Nec forte an quisquam eſt, qui ignoret, quantum hiſtoria ad ius publicum ualeat. Sed ſaepe quorundam theſauri fiunt carbones. De ſcholis quod adiicitur, omitti potuiſſet. Qua notione uſus *Sarckmaſius* eſt, ea nec *Ciceronis*, nec *Fabii* manes ipſos offendere potuit. Vocem *compilandi* quod exprobrat, ſtomachantis animi indicium eſt. Compilare quid ſit, uel ſolus *Feſtus* Vindicis uellicare aurem potuit, qui interpretatur per *colligere preſſim & condere in unum*. An hoc eſt, *Lentulum* furti accuſare? Nemo, puto, Criticus dicet. Taceo alia aſperius dicta. Calumniandi criminis poſtulatur noſter. Sed non conuincitur. Satanam calumniarum artificem ipſe deſtatur. Mollius ſane, aut mitius loquendum fuerat. Dum *Grotius* laudatur, non, puto, negauit noſter, immunem errandi, fuiſſe, ſed dixit ſolum, praecipuum eſſe inter eos, qui exquiſite controuerſias iuris gentiū diſceptarunt. Hanc laudem illi tribuére, non eſt aliorum exiſtimationi derogare. Ad poſtremum nullo fundamento ſubnixa ſuſpicio eſt, quod propter diuerſa ſacra tam falſe de *Lentulo* iudicauerit *Sarckmaſius*. Aliorſum *Sarckmaſii* inſtitutum accipiendum fuit, qui non ſuſtinuit mittere falcem in Theologorum meſſem.

§. 3. A uindice *Lentuli* ad *Petrum Naſturtium*

um, digredior, iniquissimum ac mordacissimum Censorii conatus Censorem. Is scribit *Sarckmasium* hoc tempore eo arrogantiae inductum, ut pro arbitro Reipublicae literariae se gerat. Contra obtestatur *Sarcmasius*, id sibi nunqam uenisse in mentem. Nunquam id dixit, nunquam id scripsit, nunquam id sibi arrogauit. Quod censoriam uirgulam non ausus est defugere, modestiae, opinor, argumentum est in eo, quippe tam discendi cupido, ut aliorum iudicia exploratus, hoc ingrediendum sibi iter duceret. An uero id capitale peccatum est? sed hoc non est satis, nisi acerbitas acerbitate cumuletur. Iam caco, iam uappa audit. Mox alia moderato uiro indigna proferuntur. Quid si ego amici nomine dicta dictis ulciscerer, & iniurias reiicerem in auctorem? sed remitto illi hoc peccatum, & turpe duco, praesidium in calumniandi officina quaerere. Nec dubito, quin emolliatur *Nasturtius*, si hanc indolem explorauerit amici. Procul eius contubernio malignus zoilus est. Caco quoque, ut Poetam exprimam, igniuomo ipse diras imprecatur; calumniarum architectos non odit modo, sed omni etiam aditu prohibet. Nec reddere Aristarchum unquam in animum induxit, quicquid de eo etiam ipsa inuidia ausit suspicari. Tum uero illud omnium miror maxime, cur honoris Academici titulum per ludibrium alleget ipse, ut coniecto, Academicus. Suppudet ne illum laureae tanto, si recte auguror, sudore impetratae? in se ipsum inuehitur, tum Magistelli nomine tam lepide confictο, ad libidinem abutitur & probrum. Hem prudentiam hominis. Qui de suo ordine tam sentit abie-

abiecte, tam iudicat proterue, tam loquitur contemptim. Sed & constat ex solo titulo, nec laudem redundare nec contemptum. Quod simplegadas illi exprobras, eruditis pene nauseam mouet. Symplegadibus *Sarckmasi*, quas tam grauiter expromis, tuam illam stribliginem oppono, simul & me uix contineo, quin de aspero illo & parum sibi respondente uerborum tuorum contextu asperius quid loquar. Dictum sapienti sat est. Aestima, quo haec ualeant, & mihi sapiens eris. Quod de *Sarkmasino* (haec enim tua modestia est:) tradis, forte non est indicium hominis. Sarckmasius uescitur lactuca, carduas iis relinquit, qui de rudentium prosapia sunt. Id enim attinet, omnes bonos scire, auritum gregem cum Musis nostratibus nil commune habere. Quod in *Tullium* iniquus fuerit *Sarcmasius*, forte non inuitus audiet, si erratum ostenderes. Nam nil recusabit a te diserte, si in rem eius fuerit. Quod enim in uitio ponis, cupidinem ambitionis dixisse, miror admodum. Quum in elegantioris historiae conditoribus cupidinem ad similem paene modum constructum legisse me, meminerim. Nec est, ut monstris accenseas aemulationem inuidiae, cum nil durum, nil ascitum sit, ut uirtutum ita & inuidiae aemulationem dicere. Nolo aciem oculorum tuorum obtundere exemplis, alibi, si certare cum nostro pertendas, oportunius enum erandis. Interim miror, quid animum tuum subierit, cum uocem, inficetiora, nunquam *Ciceroni* auditam, nunquam usurpatam inseris sermoni. Sed salua res est *Catullus* id habet Poeta, non Orator. Nempe non omnibus omnia licent. Por-

ro non capio, cur magna uoce *Sarckmasium* inclames, *Cretensem* appellando. Num nam tibi continuo *Cretensis* est, qui Graece loquitur, aut Graece effingit nomen suum. Perdecorum sane hoc colligendi genus est: dignum auctore inuentum! Omnium bonorum animos commouebis, si ita argumentaberis. Vendat mendaciorum fumos, qui uelit. Non *Sarckmasio*, sed nugigerulis iste cibus est ad palatum. De Graecis Numinibus nil angetur *Sarckmasius*. Nam in ea parte uellem distinxisses serium institutum ab ingenii lusu. Mos enim est scriptoribus nostris, Deos & Deas saepe inuocare, non quod credant esse, sed quia consuetudini id dandum esse, intelligunt. Foedum insuper dictu est, quod nescio quam carnificinam ex nomine facere uoluisti. Aliud grauis uiri munus, aliud decus est. Sed nondum exitus huius est rei. Funesta minaris praelia, & Parnassum cum fustuario commutas. Habe tibi in eo res tuas, & omne peculium tuum. Fustem, funem hinc amouemus. Nec ui opus est, sed ratione, λόγῳ non βρόχῳ. Nondum ira deferbuit. Narrantur Furiae, prostitutus pudor, spurcities, & quid non? ut appareant omnia animi impotentis signa. Forte fungi tibi alii uidebuntur. Caue id credas, si sapis. Interim ago tibi habeoque gratias, quod in laudando *Boeclero* nil tibi deesse patiaris. Nec illum adeo reprehendit *Sarckmasius*, ut non censeat laudandum. Tametsi enim quaedam in eo notasse sibi sit uisus, non tamen inde est, ut colligas famam *Boecleri* ab eo inquinatam. Quin recordor, *Sarckmasium* de eo pro re nata semper honorifice memor asse, & summi viri

do-

dotes certatim extulisse. Parum uero refert, id credas, nec ne? Testes habeo qui familiarius cum *Sarckmasio* loquuntur. Reliqua alibi persequar, ostensurus, te canino morsu innocentem apprehendisse, dignum adeo, qui eo praesidio opprimaris, quo alium destinaueras opprimendum. Itaque uideas, ne cum pro Pallade affectas Dianam, ipse incidas in periculosos casses, aut cum Circe illa Chaldaea, si non in piscem, saltem in canem inauspicato muteris.

§. 4. Iam *satyrae in Sarckmasium* scriptae adeundus *auctor* est, qui uel sola inscriptione, uel alter symbolo animum prodidit, utinam ea, quae hominem decebat, grauitate. Sed misellum animal, ex nominum diminutione, gloriam captat sibi. Pone supercilium, & qualis ipse sis, expende. Forte rationes inibis multo salubriores, simul & agnosces, ubi aqua tibi haereat. Primo amicum increpas ob studium calumniandi. Sed cur uitium in alio notatum ipse non uitas? Dum auctor es praeternauigandi Scyllam, in praesentissimum uenis discrimen Charybdis. Hoc non prospexisti, qui Rhinocerotis nasum habere tibi uideris. Turpe est, tantum Doctorem a me redargui. Tum uero ante calumniandi culpam a *Sarckmasio* amoui, dum internoscendis uirorum literatorum ingeniis, haec scripsisse confeci; Quod institutum ut uetus est, ita nil calumniae habet. Excutias Athenarum & Romae monumenta, & nostri quoque aeui.

Videbis nunquam censendis hominum dotibus uiros praeclarissimos defuisse. Verum transeat id. Hinc expostulas cum Nithartis, qui tuus loquendi

mos eſt. Nempe inuidiae eum accuſas, qui optima tibi ſemper optauit. Peſſimus adeo animi *Sarckmaſiani* interpres fuit, qui hoc ſuggeſſit. Mox acrius ardes & prorſus ſaeuire, an inſanire dicam, uideris. Iam acta uitae percenſere inſtituis, iam alia moliris. Fulgur ex pelui. Non adeo timidus *Sarckmaſius* eſt, ut uelut panico terrore correptus, ad ſcurrilem iſtam dicacitatem tuam expaueſcat. Collum, crede, calumniis obducit *Sarckmaſius*, nec laborat de iis, qui praeter meritum obtrectant. Aiunt coturnices atque capreas ueneno pingueſcere Vide, ne exuas hominem, & horum numero accedas. Nam aliorum malis ſaginari, crudele, innocentes criminari, impium eſt. *Sturtzeros*, *Sturtzfleiſchios* & alios; ſeu maligni, ſiue praecipitis ingenii tui foetus, mitte. Nam aut ſuffocationem, aut exitium iſta infauſta Lucina minatur. Inter haec quae de aſinis inſpergis, aſinis relinquo. De ſuibus monere, ad ſuarios pertinet. Cauendumque tibi adeo eſt, ne in ſumine iſto Gallico deuoreris, aut neſcio quod capiti tuo ſuere incipias malum. Proſopographia illa tam male cohærente, quam improbitatis & iniuriarum plena, delirantis, niſi fallor, animi teſtem reliquiſti. Si per modeſtiam, cuius ſeruandae fidem dedi, ſimile mihi in te ius ſumerem, certe efficerem, ut omnes intelligerent, abſurdam eſſe ac pene auritam tuam iſtam uani loquentiam. Pro praedicamentis, opto, reddantur ea, quae praedicamenta ſequuntur, id eſt, pallorem. Orbilii & rubor tergi. His delectare bolis: Hos degluti. Sume coenam, quam apparaſti. Exede, quod intriuiſti.

Am-

Ambrosiam, fateor, spirasti & Nectar. Venenum propinasti: uenenum ipse bibas. Quod si uero ego tuum istum dissimili instituto redderem conatum, ac sicut tu de *Sarckmasio* ex praedicamentis; ita ego de te ex literarum elementis cognoscere instituerem, par pari pensaturus: Approbaresne inceptum? Quin inibo uiam, & conabor, quod tibi displiceat, uel refragante *Sarckmasio*, & eiusmodi uanitatibus non delectante. Dicat, inquam, non nemo, te esse hominem Abiectum: Bucconem & Bilinguem: Cerebrosum: Defraudatorem: Eluuiem ambitionis: Friuolum: Grandiloquum: Hostem humanitatis: Imitatorem inimicum: Lolium infelix: Mendosum & Mendacem: Narratorem ineptum: Oraculum nugarum: Pannosum scriptorem: Quadruplatorem: Rudem: Scenicum didacem: Temerarium: Vatem Vanum & Vernilem: Xylophagum: Zoilum & quid non? Concedes haec uera esse? Ego non dixerim. Neque tamen siuerim, ut *Sarckmasio* non liceat, quod licere putas tibi. Nam quo iure iniurias euomuisti, eo retundere concessum est mihi, concessum est *Sarckmasio*. Iam aduertant animum, qui sub ferula calent, & rideant stultissimum examinis tui, ut loqueris, per praedicamenta exemplum. Si tamen in eo specimine tantopere tibi places, uicissim si libet, gratulare iam, tibi, tam festiue per Alphabeti (*d*) circulos acto, ut tanti sudoris exantlati nomine elementarii praemium tibi rependatur. Caeterum de Wormatiensi quod uellicas, recidit in auctorem. Nam eo, opinor, argumento uermiculati cerebri obsidem edere haud dubie uoluisti. Sed non-

(*d*) vid. notas Sarckmasius. num. XX.

econdum somnium tuo somnio elusi. Arrige aurem, & accipe sequentia. Nuper mihi per quietem nescio cuius discincti species offerebatur. Imago sutoris erat. Barba non hominis, sed hirci uidebatur. Caput adeo obtusum erat, ut Midae esse crederem. Incedebat uulgorum more, iacebat, ut solent semisupini, stabat supra omnium longurionum mensuram. Pectus uelut Agyrtae prominebat, pedibus Satyros, fronte Chymeram, halitu Gigantes referebat. Oculi glauci, facies cadauerosa, lingua bifida & mordax erat. Os denique igni uomum, & corpus undiquaque monstrosum apparebat. Sed quod mirum maxime erat, dum ridebat, ringebatur. Papae! noui hominis figura! Ex porrecto identidem recursabat somnium. Commodum ueniebant nonnulli, qui frigosum saturae in *Sarckmasium* compilatorem memorabant. Interea ego foras me proripiens incidi in familiares. Rem totam illis exposui; qui aiebant: caue, faxis ut rescis cat hoc *Sarckmasius*, non calumniis, sed rationibus cum Aduersario acturus. Postquam hoc intellexeram, expositi somnii non parum me poenituit. Nec dubitauerim tamen, quin uel renitente *Sarckmasio* tibi in os dicere liceat. Aut negas esse uerum, quod somniaui; aut scio, esse falsum, quod tu de *Sarckmasio* somniasti. Iam genuinum frangas, & Sarckmasi insultes. Scilicet hoc est Satyrae tam malignae impetum reprimere. Verum enim uero non solum in puritate oris tui, sed in castitate animi plurimum desidero. Nam & *optime Silesiorum gentis nomen* improbissime detorques, & de Nympharum amore maligne satis nuga-

garis. Scilicet ſalit tibi iecur? Ex ſuo ingenio alios aeſtimare, non peruerſum modo, ſed calumnioſum maxime eſt. Habeto tibi tuas in Gallia ueneres. Habetibi tuos complexus: Non inuidebo. Mihi & *Sarckmaſio*, in Lyceo uerſari, deliciae. Aliis Gynecaeum relinquimus. Carius nobis aureum ſtat tempus, quam ut talia cogitemus, nedum exequamur. Si tamen adeo diſcinctus es, ut nullam tibi inter Nymphas ſperandam gratiam habeas, ſeria loquenda fuerant, ne iſta impotentia tua ueniret in conſpectum. Probroſa ſuperiorum appellatione cur os collutulare uolueris, haud ſuſtineo ſatis mirari. Nolo eo dilabi, ut te ſeu ancillariolum quendam, ſiue Patrem Patratum dicam. Nam haud uane quidam id ſuſpicantur, quod homini a gynecaeis, & ſeculi deliciis alieniſſimo dicam ſcribas, neſcio cuius effoeminati. Si penitius in noſtrum inquiras, facile accipies, eum, ubi ubi etiam uixerit, ita literis ſemper abditum fuiſſe, ut ſibi tantum uixerit, & ſuis Muſis. Quid ergo, quaeſo te, afflauit mali? Quae peſtis te eo praecipitem egit, ut labem aſpergeres afflictim amantis? Ardet, noſter, fateor, amore literarum: te, ut ſuſpicari pronum eſt, Glycerae forrtaſſe nitor urit. Nempe cum ueracis, tum modeſti ita decoquis omni ingenii ſpei. Vt fruſtra calumniae titulum, qui dicitur, retorquendi praeferas. Nam iniuriam non reiicis modo ſed auges. Deinde os & animum tam ſpurcis ſermonibus polluis. Poſtremo nil omittis, ſeu temere, ſeu malitioſe confictum, quo de aliorum dignitate detrahere poſſis. Sed noſtrum ſua innocentia defendet. Ne de eorum, qui una

cum eo ſemper uixerunt, calculo, ſatis honorifico, quid moneam in praeſens. Interim ſi caſtas ad Albim Nymphas in tantum odiſti, diobolaribus per me aſſueſcas licet. Niſi tamen ipſe Androgynus es, & tantae moli impar, mi Diogenes, mi dure Timon. Nunc ſpero, demum intellexiſti *Sarckmaſium* non amore Nympharum, ſed fama literarum inductum, rediiſſe Albipolim. Non ita ineptiuiſſes, ſi haec ſciuiſſes, mi gracule, mi audacule. Verum laudes has atque tales certe exiguas, tibi relinquo, & ita relinquo ut nil in ea parte tecum commune uelim habere, neque uelit *Sarckmaſius*. Sed ais te dilexiſſe hactenus *Sarckmaſium*; immo ais dilexiſſe, Dilexiſti, inquam, ut lupus, de quo in fabulis eſt, ouem. Apage fucatum illum amorem. Eum nec curat noſter, nec tibi ſtudet placere. De cuculo, quae inſeris farragini tuae, neſcio quem Cynicum arguunt. Satis tamen lepide de cuculo diſſeris, adeo quidem, ut ipſum cuculi cantum audire mihi uidear. Nam neque Gallia, neque ditiones ad lacum Lemanum tam egerunt inopes, ut careant cuculis, quos tam facete depingis, ut, niſi te noſſem, ipſam cuculi progeniem crederem. Interim dum pocula Gallica libas, ſemper memineris cuculi. Hic forte nimium ſtomachi ardorem reſtinguet, ſi uinum Gallicum non ſuffecerit. Sed ſatis ingeminaſti ſonum cuculi. Mitte ineptias, & transmarinum illud ſupercilium Germanicae ſimplicitati infeſtum. Oblecta te tuis inuentis. Neminem laedes. Quod porro de inſtituto ſtudii *Sarckmaſiani* diuinas, plane friuolum, plane confictum eſt. Nunquam ille affectauit Cancella-

rii dignitatem. Iterum *Sarckmasium* tuis ambitiosis destinatis contra omne fas metiris. Nisi tamen id in omen edendi a te seu spurii, siue abortiui foetus, accipiendum fuerit; quandoquidem rumor est, te omnium enixissime Cancellarium moliri; unum uero deesse, felicem Luciniam. Catilinam eum uocas, ut documento sit, quantus *Cicero* sit, sed a *Salustio*, ut nosti, non praeter rem notatus. Quanquam adeo nil apud te Ciceronianae elegantiae sit, ut nullum in compositione tua decus, nullum in constructione dimensionis robur appareat. Nam lacerae tuae uesti hinc ex Latinis; illinc ex Germanicis, tum & ex Gallicis detractam laciniam attexis. Omnia disturbas, ut nil distinguas, alia corrumpis alia peruertis. Plurima fingis & foedas. Molliterque, ut dicam, omnem pudoris Gallici collectam gratiam una uice effundis. Quanto his ineptius est, quod Sarckmasii ortus, lineamenta, staturam sugilles? Bestias ex corpore, homines ex animo aestimamus. Tu, longurionum forte longissime, aut tante Doctorcule (hunc enim parturis) non legisti *Senecam*, qui docebit, stultos esse, qui hominis dignitatem in mole ponent, quam in mente debebant? o immodice tui aestimator, nosce te ipsum. Midae nomen, quod obiicis, nescio ad Te magis, an ad ullum alium quadret. Cum histrionalibus nugis, inimicis ineptiis, affaniis denique & scurrilibus conuiciis in tantum profeceris, ut nemo reperiatur morionum, quin tibi fasces uel ultro summittere gestiat. Praeclaram me hercle laudem, quam in stultitiae proscenio es adeptus. Vt facile sit iudicare, neminem dexterius iocularia consilia moderaturum, quam te ipsum

qui probroso oris ructu non modo scurram fingis, sed stultissimum quemque morum exprimis. Haud errauerim, si dixero, te in conclamato pectore tuo tot ineptiarum, tot uitiorum plaustra gestare, ut iis totam fere Galliam, quam insidere te ferunt, obruere possis, si infelix ista Pandora tua aperiatur ! & utinam numquam aperiatur uellem igitur latuisses, mi homo, dum talia effutiisti, ac ineptis istis, centonibus tuis, inseruisti. Quod uero prouocas *Sarckmasium* ad errata sigillatim ostendenda, id adeo non refugiet, ut pronum quoque ipsi sit, facere indicem sui a te dissensus Nec adeo, quod scias uelim, trepidat noster, ut tam clamosum altercatorem reformidet. Carmina, quae instar Merobibae edendulaeque anus, incondito isti, & nil salis, certe nil sani usquam habenti operi, infercis, lepido capiti conueniunt, aut, ut explicatius dicam, cuidam Pantomimo. Caeterum de spissis, quod iactatur uoluminibus, a *Burgoldense* condendis, nil refert mea. Scribat, exscribat, donec ipsa Gallia sub onere tanto fatiscat. Sed nec id ad me, nec ad rem pertinet. Interim ueni ad *Sarckmasium*, & commentarios eius perlustra. Saltem ei, quem defendis, non erit secundus; modo primas ipsi non praeripiat. Quod uero de inurenda calumniae nota eructasti, tibi ipsi dictum putabo, & *Burgoldensi* tuo, qui non modo religiosissimorum Praesulum nostrorum manes conuiciis proscidit, sed & Lipsiensibus ac Wittebergensibus in monstroso suorum Centonum opere immane quantum obtrectauit. Quod denique superest affaniarum, alibi sequar cum cura, & ita Sarckmasium uindicabo, ut

cau-

causas uindicandi non quaesiuisse uidear, sed reperisse. Nam per hoc tempus aliis negotiis abrepto properandum ad finem erat. Interim te, quisquis probrosae huius saturae scriptor es, per modestiam, quam possum, obtestor maxime, ut si in posterum a me moderationem expectes ipse prius moderatione utaris. Haec concertationis nostrae initia sunt. De exitu nondum constat. Constabit autem, si rationibus, non conuiciis, nos inuicem lacessamus.

Sequuntur Epistolae instituto Vindiciarum non omnino alienae

I.

P. Nasturtius, ludio, dicam, an ueterator pessimus, cuius emissarius sit, ignoro. Tribulem aiunt esse non neminis in Arcadia. Digna obtuso homine patria, quae praeter aurita monstra, nil gignit. Unum in eo miror, quod inuehatur in Ludimagistros, ipse Ludimagistrorum praecipuus. Stylum puerilem, affectus paene insanos omnibus prodidit. Depeculari aliorum laudes, gentile cauillatoris, si Deo placet, bonum est. Quicquid in eius epistolis inuenio, plenum malitiae, plenum ineptiarum est. Nil demum composuit, nisi in ostentationem calumniosi conatus. Elegantiam illi tribuam, si elegans erit, conuiciari. Nil effutiuit nisi nebulones, nil euomuit nisi asinos. Vereor, ne horum in posterum palato digna esca euadat. Ferulam tantopere ingeminat, siue quod senserit in tergo. De lepore multa obnunniat ipse lepus, aut homo sine omni lepore. Suspicatur, instinctu aliorum factum, quod sponte factum est. Fingit, criminatur, insultat. Id

te familiarissime amicorum, celare nolui, ut digna stulto praemia mediteris. Script. in ciuitate trans Rhenum.

II.

Morbus, in quem *Nasturtius* incidit, suffenorum est. Doleo hominis uicem, eo iam redacti, ut nil praeter deliquium animi ab eo expectandum habeamus. Interim ueniebat Podalirius, malo opem laturus, Sed id iam ita desperatum erat, ut artem iuxtaque curam omnem eluderet. Omnium tandem consensu *Nasturtium* afferrebatur, restituendo, ut coniectabatur, *Nasturtio*, utilissimum. Eo sumpto, sensim colligebat uires, & paulo sanior fiebat, sed non multo post in morbum, unde aegre fuerat eluctatus, infeliciter recidebat somnia, ineptias, monstra referebat. Nec tamen ea retulisse, uolebat uideri. Mirum dictu! hominem in tantum a se ipso posse deficere, ut neque ipse intelligat quidquam, nec alios itelligere quidquam putet. Tanti enim erroris non malitiae causa est, sed morbus. Haec mea de *Nasturtio* sententia est.

III.

Quae de *Nasturtio* commemoras, *N. B.* a malitia profecta sunt, non morbo. Nam qui natiui eius mores sunt, orationem ex calumniis, argumenta ex ineptiis format. Non mustea, sed annosa haec uulpes est, eoque callidior caeteris, & peior. Mopsus, an *Surlecobius* (*e*) sub eo lateat, non aeque est manifestum. Nam qua fide ipse dixit, *Schurzfleischium Sarckmasio* uelari, eadem dixerim *ego*, illum *Nasturtii* pigmento incrustare se uoluisse. Sed fingat

(*e*) Literis in Ordinem redactis: abiectis tamen tribus postremis, uox exhibet *Boeclerum*, eodem obseruante *C. Cr.* f. *Notae Sarckmas.* num. XIX.

gat nomen & pingat. Satis habuerim, ostendisse, in eius sententiis neruum, in probationibus robur, in uerbis denique acumen desiderari & dulcedinem natiuam. Aiunt quoque scripturum (en ludimagistri uiuam imaginem !) omnes eruere annales, omnes excutere commentarios, demordere ungues, cuperare frontem, uellere aurem. Nec tamen his tantis conatibus proficere ultra captum uulgi. Legi eius epistolas. Sed utinam non legissem. Nam animum conuiciis imbuit, & affanias pro rationibus, muscerdam pro pipere uendit. Jam diu te, amicorum optime, flagito, ut impurissimo ori respondeas pro merito. Nam eo processit delirii, ut acrem saturam ab infamia, iudicium paullo salsum a conuicio distinguere, nondum sustineat. Legenti chartas sylua calumniarum (praeter has enim homini prolelatario nil suppetit) in aditu, medio & exitu occurrebat. Obstupuisset magnus ille caesar, si monstrum, si foedum animal & uecors uidisset. Scilicet isti homuncionis ineptissimi mores sunt, ut cum ipse parum intelligat, alios nil intelligere stolidissime censeat. Hisque rebus adeo fit, ut litem ferat ex lite, & bellum augeat bello, tinniatque insuper magis, quam animum exaturet, iam fluctus in simpulo excitans, iam mouens camarinam. Inde calumniae, hinc ineptiae oriuntur longe plurimae. Ludimagistri cum utitur nomine, in seipsum, necesse erat descendisset. Nam in ludo isto palmam homini inscito facile deferrem, nec negaret ipse, si ab inferis suscitarerur, Lycurgus. *Rectoris Corbaciensis* (o stupidum hominem, qui ita scribit!) nomen, quod ingeminare toties uoluerit.

ri-

poſtquam inde diſcederet, hi altioribus ſtudiis iam maturi, Noſtrum e ueſtigio comitarentur. Interim miror, cur iſta umbra, neſcio, *Naſturtii*, an uindex, tam crebro ferulae meminerit, Forte, quia illi tam dulcis eſt, aut fuit (*f*) ſcilicet tam ſtultus *Naſturtius eſt*, ut reticenda etiam promat, ipſa Eleuſines ſacra, ſi uel maxime capitale eſſet, non celaturus. Si altior rerum ciuilium tibi intellectus eſt, altiora quaere, & ferulam iſtam Paedotribis relinque. Sed nondum ſatis effoetas uires oſtendit toruus noſter Momus, & nouum ſiſyphii conatus ſpecimen edit. Nam quae oggannit, uulpem terrere poterat, non cordatum. Quae blaterat, hominem plane excordem arguunt. Offucias, nugas, ſannas, obtrectationumque iſtas ineptiſſimas formulas ſufflare quilibet maleferiatus potuit. Utinam uero tandem, mi *Naſturti*, ſub meliori praeceptore adoleuiſſes. Sed ut nil praeter ineptias didiciſti, ita nil promis niſi ineptum. Stupidum ſane & uecors animal fuit, quod ſiue ad eructandas, tantas calumnias facem praetulit, ſiue ad ſcurrilem iſtam ſcenam feneſtram patefecit. Quod oblatrat de *infami Parnaſſo*, caninum, non humanum eſt dictum. Ipſe in coeno infamium epiſtolarum uolutatus, immerentem ſuis aſpergere ſordibus ſatagit. Calumnias, ſi quae tamen fuerunt, reprehendit, ſed

(*f*) Forte hic indigitat fata illa ſiniſtra, quae in Suecia perpeſſus eſt. Ferunt enim, illum noctu ab Vpſalienſibus ſtudioſis in platea, ob nimis duram diſciplinam. interceptum fuiſſe, & uirgis uiolentiſſime caeſum fuiſſe. Vid. Excexpta Epiſtolar. *Boineburgii* quae extant in Cl. Struuii Faſc. III. Actorum Literariorum ex Manuſcriptis erutorum p. 19. V. Notationes Sarckmaſii. num. XIV.

ſed ipſe non uitat, calumniator omnium, quos ſol adſpexit, unquam, peſſimus. Tum uero mentitur improbiſſime, calumniatur audaciſſime, cum priuatum ſatyrae inſtitutum occultis eorum, qui uitam in publico agunt, molitionibus imputat, quibus non modo inſciis, ſed etiam, ut clariſſimis poſtea indiciis apparuit, inuitis, in lucem exiit, quicquid exiit. O ſtultum, o malignum, qui hoc ſufflauit, qui hoc ſuggeſſit tibi. Nempe ut anile eſt, facile quaeuis credere, ita improbum talia credita protinus defendere. Adhuc ringitur *Naſturtiana proles*, & neſcio, quem ſibi *Sarckmaſium* fingit, in legum ſcientia plane hoſpitem. Riſum teneatis amici, qui *Sarckmaſium* noſtis Tam credulum hoc animal eſt & calumniae pertinax! Vlterius inſurgit, & nil ſibi in codice *Suetoniano* obſeruatum meminit huius, quod ad fulciendam linguae libertatem pertineat. Nempe iſte e plebe Criticus non legit *Suetonii Auguſtum*, qui *Tiberio*, licentiam linguae Romanae aegerrime ferenti, reſcripſerat, nollet in hac re ſibi indulgere, & nimium indignari: nec multum referre, quomodo quiſq; de ſe opinetur & loquatur, immo ſi uel maxime loquatur male. Quid eſt liberam linguam approbare, ſi hoc non eſt? Collirio opus eſt tibi, ut legas *Suetonii in Auguſto Cap.* 51. Nec tamen negauerim ipſas huius dicti uoces in *Tiberio* ſecundum omnes apices deſcriptas extare. Id enim nec uulgus latere poterat Criticorum. Cæterum hæc libertas pro illorum temporum ſtatu conceſſa praefinito debet intelligi, nec ad arcana imperiorum porrigi, neque libidini promiſcue ſeruire, ſed modica eſſe & ingenuo, eo-

que

que ad uelitationes literarios referri solum, & non tam in morum, quam dotium animi censura uersari; cum omnia primo explorari oporteat & iudicari. Deinde, quae bona censentur, eligi demum & retineri. Impius, ineptus, rerum denique omnium ignarus fuisti, si id nesciuisti. Tu misellc, tu strigose Politice accommodationis huius usum tam ignorasti turpiter, quam peruertisti in sulse. Interim Principum celanda esse arcana, sine te monitore etiam sciunt, qui nondum ex ephebis excesserunt. Verum enim uero mox aliud dat specimen, & *Tacitum* calumnioso instituto suffragaturum malitiosissime allegat. Nempe haec inserit ne *Tacitum* ignorasse uideatur. Sed si fatendum, quod res est, altiorem *Taciti* sensum non capit, nec tanto acumine ualet, quantum exigit *Tacitus*. Taedet sane me chartae tam male a *Taciti* interprete impensae. Iamque demum, mi *Nasturti*, deprehendo, te uix tyrocinia posuisse in castris Politicorum, quod non minus frigide loquaris, quam inepte de his existimes. De *Tacito* si tacuisses, plus certe laudis ad te redundasset. Nunc cum testari ignorantiam uolueris; uel ipsius *Taciti* manes ad commiserationem prouocasti. De furore porro Critico nil, puto, dixisset *Nasturtius*, nisi ipse Coroebus. De *Conringio* quae inspergit, uellem omisisset. Nam tantus ille *Sarckmasio* est, ut *Nasturtium* in eius comparationem referre, sit guttam contendere cum mari. Fin rebitis, *Nasturtio*, cum pupis suis ex luce in tenebras mox redituro. Sed nondum sedatus *Nasturtii* impetus est. * Zieglero*, ut uiri uirtus merebatur, laudato haud inuidet occulte. Primo

ſuſpectus eſt, Satyrica Noſtri conſilia fouiſſe. Diſpereat, qui ita ſuſpicatur. Deinde adulationem Noſtro exprobrat, ipſe *Boecleri* adulator peſſimus Poſtremo ſtudium antiquitatis, elegantiam ſtyli, & peritiam hiſtoriarum a *Sarckmaſio* mutuatur, materiam *Boeclerianae* laudis. Sed quid in hac parte alii deſiderent; noluit fortaſſe Noſter per modeſtiam hactenus enunciare. Nam quod pace *Sarckmaſii* dixerim, quaedam etiam iuſto liberalius illi ſunt tributa. Nam ſtylus aſcitus, durus, aſper; oratio tumida, uehemens, inaequalis; Antiquitatis Germanicae notitia exigua, tenuis, uulgaris. Iudicium denique de iudiciis praeceps, frigidum, ieiunum, incomptumque eſt. Pergit ex triuio Magiſter, & nullo forte, niſi aurito patre natus. Nam nulla in Politicis habet myſteria, niſi aſinorum, nebulonum, dignorum *Naſturtio* nominum. Certe, ut colligo, *Ziegleri* Notas ne a limine quidem ſalutauit. Theologica quaedam in iis reperiri ait, uiris doctiſſimis laudata. Hactenus uere. Caetera per latus petit; ſed ubi frons tua? intelligentiores harum rerum alii de omnibus iſto Notarum uolumine comprehenſis longe optimum iudicium promunt. Tum uero in rebus morum plane coecum eſſe te oportet, qui neſcias diuinae ſapientiae ſtudium huc plurimum conferre. Sed heus mi *Naſturti*; in *Boecleri* commentationibus farrago potius, quam ordo apparet. Loquentiae multum, ſapientiae parum. Adeo hiant ibi omnia & arent? Compilatio hiſtoriarum forte hiſtoricum qualemcunque probat, non Morum doctorem. Iam pueris ſubolet, qualis palma maneat *Boecle-*

clerum. Ferri hoc utcunque poterat, si iuris publici latices paullo melius imbibisset. Sed ecce in hac parte iterum pauper est & ieiunus. Nec melior eius defensor, cui *Sarckmasius* non calumniae, sed prudentiae ciuilis praebuerat specimen. Verum ineptus comes ineptum refert ducem. Rideant Tyrones nostri tam bellum Politicum! Doleo certe chartam, quisquiliis *Nasturtianis*, inquinandam. Sed compono me ad modulum hominis, & repello latratum. Sponsionem fecerim, defensorem illum aut non legisse auctores aut non intellexisse, quos contra *Sarckmasium* uindicat. O inepte uirorum istorum uindex! Pudebit illos tui conatus, unde plus dedecoris, quam laudis ad eos redundat. Has uanitates dum aestimat, alio cornu *Sarckmasium* petit misellus Politicus. Sed tutus ab ictu *Sarckmasius* est. De speculo Magico dum suspicatur, poculum bibit Circaeum. Vae tibi, si talem rerum scribendarum auctorem habeas. Niger est, hunc tu caueto. Nam solent homines saepe ea loqui, quae ipsi suo pectore condunt. Id mature reputes uelim, & liberes te a prauo Magistro, quem detestor ego, detestatur *Sarckmasius*. Scilicet adhuc subdubito, an *Nasturtius* bonus sit Christianus? Nam Politicum non esse, iam confeci satis; Christianae quoque pietatis nullum hactenus documentum dedit. Certe non secus, ac Seruatoris Christi hostes, in calumniis ex Oraculo Delphico profectis, omne praesidium ponit. Sed ut illum innocentia, ita & *Sarckmasium* defendet. Te furiae, ni ad frugem redeas, uereor ne tandem consumant. Interea scias, *Berneggeri* istud de *Pace Pragensi* iu-

dicium uenisse in hominum manus, non editum praelo, sed scriptum manu. Exemplum mihi *a uiro magno* traditum memini; Aulae, Academiae hac fama iamdudum, opinor, omnes personuerunt. Et tu id ignoras, aut si non ignoras, improbe mentiris, malitiose calumniaris. Vocem laudi non dignam hoc Oratore, nec quadrantem instituto, quam lepide detorqueat, plane piget referre. Referant nondum his litteris initiati, & castigent errantem. Sed laudum obliuisci non potuit, quod a longo inde tempore cerebro hominis, ex *Causa Wildfangiatus* turbato insederat. Nempe hic est ille tanto hiatu arbiter, haec est illa arbitri sententia. Hominis certe non multum festiui, & insigniter stupidi. *Lentuli, Rachelii, Martini, aliorumque* causam acrius tuetur, quam felicius. Alios defendit cum se ipsum non possit, nec suum Patronum, *Pufendorfio* quoque laus sine tam inepto uindice constabit. Iudicium de *Spenero*, modestissimo caeteroquin Uiro, & immane quantum Patri foetus *Nasturtiani* anteferendo, odium Saxonicae domus paene interpretatur. Postquam exciderat homini, plerosque eo nomine a *Sarckmasio* notatos, quod parum de Saxonibus sensissent religiose, admodum scripsissent insulse. Atqui tantum abest, ut in hac causa perperam reprehendi debeat Spenerus, ut quoque laudandus maxime sit; quippe cuius ut in sacra summa pietas, ita erga eorum uindices, Serenissimos Saxones, sanctissimus semper affectus, & erga rariores literas amor maximus est. Ita cum laudatus est *Spenerus*, nil fortasse prohibuit, quin una aliquid notaretur, fal-

ua

ua tamen summi uiri laude. Proh stultissimum hunc iudicem! Non rationibus, sed calumniis rem gerit. Verborum multum, argumentorum nihil, affaniarum certe plurimum habet. Nec dum tamen ineptiis ponere potuit modum. Quin mendaciis deliria cumulat manifesta Enimuero *Sarckmasii* Parnasso perfectiuum iuuenilis ingenii lusum sic dicto illiberali facinore detrahit, quod nescius discriminis *Pacificum a Lapide* cum *Hippolyto a Lapide* commutare fuerit ausus. O pecus! Nesciuistine, *Sarcmasio Pacificum a Lapide* scriptorem nouum, atque ab ingenio laudandum maxime, intellectum? Quem in plurimis, ut solet descripsit *Burgoldensis*, descripserunt alii. Tu, mortalium insulsissime *Hippolytum a Lapide* somnias? Aut laborasti ex febri, aut fortasse speculo magico (retundo iniuriam) imago cogitationum *Sarckmasianarum* & tibicina tibi fuit. Sed fefellit hoc, si habuisti, si credidisti. *Hippolytum à Lapide* iam ante *Sarckmasium* plurimis castigatum, duxit omittendum *Sarckmasius*. Nonne pudet te huius mendacii? & tamen ex eo capite infamiae quoque accusas Parnassum, eo forte consilio, ne infamem istam calumniandi orbitam deseruisse uidearis. Sunt tamen, qui mussent, te odio in magni cuiusdam Principis Administrum, scitissimi illius operis auctorem, inique accensum, hanc gloriam a *Sarckmasio* tributam, pro ea, qua inuidia es, detrahere uoluisse. Cuius libri, ne nescias in posterum, hic titulus est: *Dominus de Monzambano illustratus & restrictus &c. opera & studio Pacifici a Lapide, Germano-*

Constantiensis &c, Hem inepte! Hem nouorum scriptorum ignarissime homo ! Numnam hoc est confundere Auctores? Crimen alii imputas, cuius ipse reus es. Quod tute pueriliter confudisti, id alium confudisse, petulanter nugaris. Si hoc Tyrones in posterum deprehendant, quid dicent ? Nisi intercessero certe auritum dicent. O ineptem *Nasturtium*! o ineptiorem *Nasturtii Patronum*! Vereor, ne Rhenus consistat, si tantam hominis imperitiam audiat. Nempe hoc *Nasturtii* & *Patroni eius* arctissimum foedus non uirtute, sed ignorantia & mutua calumniandi libidine prorsus coaluit. Fortasse ut appareret, dignum duce comitem esse, alterum quidem inertem, alterum ineptum, utrumque in obtrectandi artificio facile Principem.

Dat. in ciuitate Trans. Veserana anno uertente.

IV.

Nobilissime Domine. Quid de *Labrone a Verasio* sentiam, flagitas a me, ut scribam. Breuiter accipe, eius in parte modestiae studium mihi haud leuiter esse probatum. Modo abstinuisset quibusdam non uanis solum, sed etiam plane confictis rumusculis. His uelim tantisper acquiescas, dum Vindiciarum harum continuatio sequatur. Principia posuimus, reliqua primo quoque tempore expectabis.

Script. Nicoburgi apud Ostphalos.

Vt salutamus ita resalutamus.

IX.

IX. CANIS SVB FVSTEM MISSVS (g)
siue
Correptio
SYCOPHANTAE MAXIMI
EVBVLI THEOSDATI SARCKMASII
CIϽ IϽC LXIX.

QVid actum sit superioribus diebus in Parnasso Sarckmasiano, id est, in uanissimo cerebro mimici sycophantae, qui iugulandæ truculento impetu celeberrimorum uirorum famae, pridem tragicum furorem intenderat, maculatissima theatralibus conuitiis charta publice indicium fecit; sub impudentissima fronte, fatuosoque titulo: *Iudiciorum de nouissimis Prudentiae ciuilis scriptoribus, ex Parnasso cum Eubulo Theosdato Sarckmasio ingenue communicatorum,* tanquam sub orci galea, omnem insolentis agyrtae in maledicendo libidinem occultatura. Cuius immodesta mendacia donec Illi praesidio publicae uindictae reprimant, quorum existimatio per iniuriam tam acerbe laesa est: Interim Authoris famossi libelli proteruam insaniem detegi, seculi nostri communisque Patriae interest; ad cuius opprobrium non debet uel apud exteros, uel in posterum memoria, explicari exemplum impostoris, sine exemplo

(g) Si fidem habemus Memoriis Treuecensibus mens. Ian. 1702. Art. V. p. 28. Scripti huius Autor est Vlricus Obrechtus, Gener. I. H. Boecleri, Confer Tentzelii Colloq. Menstr. An. 1692. p. 553. 554. ubi ludicrum occasione huius scripti fatum recensetur.

plo probrosi. Condonentur aeui nostri Germaniaeque meritis illae maculae, quae intra deprauatae hominum consuetudinis limites,alterutrius partam literis gloriam, per plura exempla, tolerabilius infestant: Hoc unicum, & hactenus inter literatos in auditum inuisumque facinus in auctoris sui propriam ifamiam redundet. Illum notent,quem agitant, uulneratae conscientiae, perditae inter bonos existimationis, prostituti pudoris furiae, & insani cerebri deliria; quae nemo seculis unquam, nemo nationibus in uitio computauit.

Quid contrahis ad haec frontem, *Sarckmasi*? quid supercilio dictatorio terres, extra Parnassi tui iurisdictionem ingenuae iustissimaeque indignationi uacaturum? Quid FVSTEM dentibus appetis,cui temet ipsum hoc tuo caninae facundiae specimine subiecisti? frustra prouocas ad *censoriam uirgulam*,& eosdem aliorum in te morsus impudenti latratu cies, quibus in alios tu desaeuiisti. Quis enim unquam acceptum a bellua uulnus dentibus uindicauit? FVSTE rabiosi canes uel subiguntur, uel, si medicinam plagarum, rabies superauit, ut ab eorum insultibus cauere sibi discant obuii, notantur. Hoc ego quoque proposito tecum agam; non quod adeo desperatum otium habeam, ut ad sanam mentem te reducere laborem; sed ut alii hoc FVSTE, tanquam indicio furoris tui, e collo tuo suspenso, rabiosos impetus, quibus nemini parsurus es, post quam tam illustribus nominibus non pepercisti, sciant euitare.

Quandoquidem autem inter iudicandum, uel potius calumniandum, portentosa mixtura satyricam

sa-

ſapientiam uenditas; quis te, cinaede, tragicus artifex in ſatyra docuit, antequam aulaea tolleres, centauros & iunctos tigribus angues mactare? Talia enim haud dubie in latinitate monſtra ſunt, *aemulatio inuidiae, cupido ambitionis odii ſuſpicio*; cum quibus quid ex tuo *Parnaſſo* proſcriptum uolueris, procul dubio nec tu, nec forte quisquam alius intelligit. Nam aemulationis quidem, inuidiae, ambitionis, odii ſuſpicionem, ut apud quenquam, qui te nouit, incurreres, uerendum tibi non fuit. Iſti enim, tametſi honeſtis mentibus indigni, non tamen abiectarum & uecordium animarum affectus ſunt; & tu cum iis tanti non eras tamen futurus, ut *repre-henſione Muſarum & Parnaſſi* dignus habereris. Satis alias meritus eſſes, experiri indignabundas ſacri montis Deas, quibus te iratis natum probas, cum ex illarum conſortio Apollinem extrahere conaris, ut ad niues & aſpias praeſideat, quam frigiditatem tua tam febriculoſa ſatyra uix amplius patietur in prouerbio eſſe. Per tuam, ſi quae tamen eſt, fidem! quando *cenſuram tuam Apollini ſacram* eſſe uoluiſti, an eſſe fas arbitratus es, in eadem ara, ſapientiae, honeſtique quicquid eſt moris Praeſidi ſimul, & calumniae litare? Quin potius, ſi tibi, Cretenſi, Graeca numina cordi ſunt, & decens putas, non uirtutes tantum, ſed ſcelera conſecrare, propediem Athenas proficiſceris, & in *impudentiae* aut contumeliae fano, (*Cic. de LL. II, 11.*) ab infami trabe teipſum pro donario ſuſpendis. Quo non poterit Apollini & Muſis, ſed in iſto templo (ne purior locus probroſo ſanguine maculetur gratior) uictima caderet.

 Sed

Sed tibi scilicet longe magis necessaria peragenda sunt, antequam sacrifices, Exorso tragoediam non uacat tam alte cothurnatum Prologum tuum in theatro ridendum deserere. Persequenda tibi, quam coepisti fabula est. Itaq; ut tragica sibi sacra constent, primum in Principes literariae reipubl. mucronem stringis. In hoc, ipso Polyphemo barbarior: qui eximiis Vlissis meritis hoc saltem praemium tribuit, ut eum constitueret post caeteros deuorare: tu e contra, quouis Cyclope crudelius monstrum, *Conringii* atque *Boecleri* splendore irritaris, ut illorum famam omnium primum aggrediaris conficiendam. Ad hoc, cum fallere te non posset, quam improborobore opus esset, totam tricipitinam numinum tuorum uno agmine producis: quam hoc loco omnem sapientiae suae penum uno cumulo effundere, tanti tibi uisum est; saltem ne in reliquis Actibus Tragoediae, κωφὰ πρόσωπα deficerent. Vel an hoc fecisti, ut summis uiris, si machinae tuae satis efficaces fuissent subruendae illorum existimationi, hoc ad minimum solatium superesset, nobiliore quam *carnificis*, qualem te ascitum *Sarcmasii* nomen designat, manu & sica cecidisse. Atque *Conringium* certe non parum solabitur, quod Apollinem tuum iisdem criminibus damnatum, quorum ipsum insimulauerat, contumelias suas & conuitia proprio uidet exemplo diluere. Quis enim πολυπραγμοσύνην alteri obiicientem audiet eum, qui se, non rogatus, alienis litibus immiscet? quis *uehemente ardenteque*, *Theologo* non maluerit socio censeri, quam cum Parnassi tui Mercurio Politicorum sceleratorum mores referre? Hunc Mercu-

curium tuum, utcunque didicerit in consortio tuo scelestus esse, utcunque idoneus tibi uisus sit, qui corrupti seculi exemplum esset, interroga tamen; Cuius officium sit, ad denigrandum alterius nomen, undique conficta crimina conducere, causari audacter, exprobrare sine testibus, facta esse, quae facta non sunt, calumniari, conuitiari, maledicere? Et is, quanquam *utilia potius, quam honesta, quaestuosa, quam sacra spectare*, sectarique ex elogio tuo doctus est, dicet tamen tibi; non hoc Theologi, cuius muneri absint perpetuum tam detestabiles notae, sed impudentissimi sycophantae, improbi agyrtae, nequissimi ardelionis opus esse: quem exinde necesse sit, postquam saltem ad mentiendum effrene os, & perfrictam frontem attulit, at ueritatis aspectum toto animo cohorrescere atque percelli: ut eam, tanquam amarissimum nefario palato cibum, nec capiat cum paucissimis, nec cum paucis cupiat, & oderit ante plurimos. Hoc Charactere, si quenquam potius, quam te signari credis, contra propriam conscientiam, uitiorum tuorum amore, talpa es. Cui alias non uisum esset, *omnia, quae sentias, proloqui nefas esse*, nisi apud te conuictus esses, omnia quae sentis, etiam sentire nefas esse.

In *Boeclero* censendo, tu e numina tua, tam turpiter inuicem uestram stultitiam, impudentiam, infamiam proditis & exprobratis, ut *Boeclerus* quidem contra calumnias manifestas & aperta mendacia, absque alio uindice possit suae famae securus esse. Scilicet ille metuet aut reuerebitur Mineruae tuae grunnitus: quam tu tam congrue ad genium tuum depin-

pingis, ut facile appareat quibus meritis obtinueris, illi a secretis esse. Quam si tu sciuisses, uel minima suspicione coniecisses, *Deum ueri amantiorem esse*, emendus ipsi fuisset, cui imperaret: nunc, postquam in publico consessu perspicacitas eius in captandis rumoribus, uenandis mendaciis, struendis calumniis, uulgata est; absque ulteriori pretio tuum illi ministerium uenale prostitit, ad disseminandas, quas ipse callide confinxisset fabulas. Hoc munus hucusque strenue obeundo, meritus tandem es ab ea, ut tibi deliciolo suo, res altissimi mysterii in aurem loqueretur. Quas tu, cum tam impudenter in uulgus effutiisti, an ueritus non es, ne alter, non in fabulis, sed in omnium conspectu Tantalus, euulgatorum secretorum Palladis poenas lueres? Et lues certe, nisi pro te unanimi uoce intercedat literaria respublica, quae per te scit, quod antea scilicet ignorauerat: *Forstnerum cum scientia experientiam, cum experientia agendi dexteritatem habuisse coniunctam.* Ne tibi gratia forte tanti meriti pereat, narrabo tibi uicissim non tam horribile quidem secretum, sed quod te assidue meditari, non minus tua intersit; Esse in Germania nostra quandam nationem hominum, occupatorum in otio, gratis anhelantium, multa agendo nihil agentium, sibi molestorum, & aliis odiosissimorum, quibus complura lustra in Academiarum aliquot umbra inerti segnitie consumpta, totidem triumphales tituli sunt, unde sibi alas *Icari* & fastuosa supercilia fabricant, intra sui pectoris & musei claustra feroces, ad lucis uero, negotiorum, hominum aspectum, noctuarum grex, &, si superbam iis longaeuae

pi-

pigritiae pompam detrahas, aeque inertes, ac malleus, quod aiunt, fracto manubrio. Hi quid de uiris in actu publico, in tractatu rerum, in uaria eruditione, summa cum laude uersatis, & assidue uersantibus decernant, quidque de laboribus illorum sentiant aut pronuntient, neminem unquam, cui sanum sinciput esset, attendisse. Ut adeo frustra sis ueritus, *Boecleri uel patientiam irritare, uel minuere laudes.* Nondum enim Europae seculique nostri res tam ad incitas redactae sunt, ut *Boeclero* meritorum suorum gratiam a te fas sit expectare. Maneant in bonorum conscientia laudes eius uirtutibus debitae; tibi duret odium uiri, bonis tantum coli & fauere digni. Qui sicut pati facile potest, praeconio partim tuo, partim exemplo, ad posteros deferri: *humanam naturam non desinere* quidem *humanam esse, etiam cum ad summum ascendit*; te tamen, humanam speciem gerentem, calumniandi rabie infra humanam improbitatem degenerasse: ita nec turbatur ad caninam scaeuam, nec tam abiecte de suis laudibus sentire debet, ut illas a coeno spurcissimo, quale totum es, conspurcari posse, arbitretur.

Hinc iam incipis, desertus a numinibus tuis, propriis auspiciis rem gerere: Et tamen (mirum!) nihi iudicio tuo de solita prudentia decedit. Quid ais; Sagacissime arcanorum satyricae Sapientiae uenator? *Monzambanus ne, sub nomine ad Italorum linguã composito, latere uoluit, ut & Ingeniosius tegeret germanum, & liberiores italorum in iudicando mores tutiori exprimeret conatu?* Tu hoc mysterium ex abdito eruisti, & nondum illud iubes in prae-

ce-

cepta satyricae artis abire, cum exemplo, quod longe illustrius tu prae *Monzambano* praestitisti? nempe tu quoque sub Nomine ad graecorum linguam composito latere uoluisti, ut qui te minus nouerunt ex Corcyraeis unum arbitrentur, apud quos iure optimo licuit turpiter agere, & tu simul liberiores graeculorum in mentiendo mores tutiori exprimeres conatu. Ad hoc artificium cum *Monzambano* duce penetraueris, an illi oportuit exilium a te pro gratia rependi? Nec opus certe fuerat, *eum ad septentrionem relegare, ut calor eius temperaretur*, cum tu in germania refrigerium apparares. Tangat *Monzambanus* frigidissimae tuae satyrae niues, tota eius praecordia gelu occupabit, & frigidior gallica, glacies constringet. Quem tu inprimis exemplo tuo potuisses a scribenda satyra deterrere: si antea illum hoc tuo specimine docuisses, quam infeliciter Authoribus suis cederent satyrae, quas febriculosa mentiendi calumniandique rabies, apud eruditos & honestioris commatis uiros, nomine satyrarum indignas facit atque in proprium scriptoris opprobrium retorquet.

Hoc est quod cunctis apicibus tua censura facit; in qua denuo quid aliud, nisi *mutato nomine de te fabula narratur*, dum *Burgoldensem* audaciae, & reliquorum tibi propriorum criminum postulas? Praeterquam enim, quod famosi tui libelli conatum nihil aequabit audacia; quid insuper insolentius est, quam rationem ab altero uitae reposcere eum, qui non possit reddere suae? quid indignius, quam si,

Qui ipsi non sapit, aliis monstret uiam?

Vt

Ut adeo consultius facturus fueris, si de propriis interim centonibus tuis sarciendis fuisses sollicitus: quorum complures oportet domi tuae tibi laceri sint, qui longa experientia didicisti, quam illi non sint spernendi ubi melior uestis, puluere scholastico adesa, nudum cum omni supercilio magistellum iniuriae coeli reliquit.

Hinc mirum est, quid in te centones tam subito deliquerint, ut eorum nomine *Berneggeri* scripta contemneres. Nisi numinibus tuis pertinacissimum indixisses silentium; quo nempe decreueras, sicut superius ad alienum nutum sceleftus fueras, ita hic propria sponte impius esse; *posuisset tibi utique legem Pallas & ut manes optimi uiri quiescere sineres,* conscientia tua internuncia, *te iussisset.* Quam enim exinde lauream sperasti, si cineres sepulti leonis laçesseres, improba strix, & eruta tumulo ossa uenenatis dentibus infestares? Effecisti prorsus hoc tam immani facinore, ut non multum uel Lentulus, uel quisquam alius curaturus sit, quo loco tu censeas eius labores collocandos. Qui scilicet uiam cuique aperies, *qua sit ad fastigium literariae gloriae nitendum*, ne inter eos quidem nisi ultimo loco tolerabilis, quibus ex rastris & ligonibus gloria quaeritur.

Quippe quorum consortio, si non ipsum in uniuersum damnatissimum tuum calumniandi propositum, tot tamen tamque cruda mendacia, quibus in *Rachelii* famam desaeuiisti, te indignum reddiderunt. Vt adeo prorsus exemplo tuo comprobes, sicut multi sunt, qui pro Bachis immeritum thyrsum gerunt, ita te esse ex iis, qui sine thyrso Ba-

chos

(quod euincunt, ei contra rei ueritatem afficta studiorum auspicia) criminareris, non ueritus es contra tenorem luculentissimae tragoediae, cothurnatus paratragoedus mimi comici personam induere: quod nisi fecisses, haud dubie nemo sciuisset, te populo exhibere constituisse Tragicocomoediam. In qua, quoniam tam insulse cum cothurno soccum iungis, plane tuum est, de rebus magis necessariis laborare, & ne tragoedus cinaedum excutiat, imposterum prouidere.

Non impediet in hac cura te superfluus & plusquam ineptus labor, quo *Puffendorffio* tanquam ei parentandum foret, totum uitae cursum recenses. Ipse tu uideris quemadmodum ad institutum tuum congruat, quod elogium illi ex *Conringii* iudicio, & spe *Boecleri* adornas, quorum hactenus suffragia paruae in Parnasso tuo authoritatis habita sunt. Et quid mirum fuisset, si eo laudando sola tua authoritate usus esses; qui nudis suspicionibus tuis in eo criminando fidem haberi postulas. Atque omnino, quis tibi non credet, *ὑπερνε φέλω ἀνδρὶ, καὶ, ἵνα καθ' Ὅμηρον εἴπω, τῶν ὀνειρώνων ἑνί* qui non noctu tantum, sed tota die per eburneam somni portam transuersum tueris,

Qua falsa ad coelum mittunt insomnia manes,
Et hinc solus potuisti perspicere, quis *tam ingeniose sub nomine ad Italorum linguam composito, germanum tegat*, solus noscere, quem Reges ament, cui Principes faueant: Hinc dinumerare potuisti, quot in quemque diem milliaribus *Pufendorfius* iter suum extenderet, donec in sueciam peruenisset; Hinc

N mire-

miretur quispiam, qui tam alte in abditos germaniae sueciaeque sensus descenderis, ut quid alterutra in sinu luctus uel gaudii foueret, tam exquisite fueris hariolatus.

Potuit eadem opera tibi transparuisse, quae *Sprengero* ad conuitia tua mens sit? quem sicut uerisimile est, si quid *confundendo, praetermittendo, perperā existimando* deliquit, id eo consilio fecisse, ne tibi quandoque, tam ingenuoso fabro, labor deesset, atque, si quandoque eadem, quae ipse, conari uelles,

Habere ut posses aliquid operis residui,

In quo sapientiam & iudicium tuum exerceres; ita cum tot sibi laudum titulos apud bonos paratos sciat, quot illi in paginis tuis uituperii nomina legerint; non poterit eum foecunditatis poenitere, qua felix erit, si porro tui Parnassi indignationem concitauerit: utpote cuius unica calumnia, nemo honestatis studiosus, totius per Europam uulgi laudes sibi debet redemptas uelle.

Pridem enim hanc eruditis regulam calumniis scribendis statuisti, ut plus arbitrentur se laudibus tuis quam contumeliis grauari: Quapropter *Hornius* quoque, cum tot praeclaris nominibus latratu tuo morsibusque impetitus, non propriis tantummodo meritis, sed per odium insuper tuum, dignus habebitur deinceps, cuius piis manibus, quotquot uirtutem in uiuis amant, in mortuis uenerantur, placidam quietem apprecentur. Solus tu de eo merearis, ut turbati nefando, sed usitato tibi scelere, scineres eius in tuas poenas agitentur. Tu, stipes alienis neruis ad cuiusuis aurae flatum mobilis, excors & inutile terrae

terrae pondus, illum *ſuperbum, audacem, moroſum, rixandi auidum, diris, ira, minis plenum* pronunties. Conſtabit uel hinc, quam de feroci hoſte barbaries, ſublato e uiuis *Hornio*, poſſit triumphare. Liceat hinc per te, Dictator Draco, liberis ſaltem queſtibus proſequi tot in ultas bonarum & liberalium artium ſtrages, quot in te, ſi uita ipſi ſuppetiiſſet ad ſumendam de ſceleſto capite poenam, *Hornius* erat uindicaturus. Tibi enim, o improbitatis idolum, o Barbariei larua, o ſimulacrum inſcitiae, metuendus fuit *Hornii* faſtus, qui nimium abiecte de ſe ipſo ſenſiſſet, ſi ſpiritum ad te, tam uilem nebulonem, demiſiſſet. Tibi audax acumen *Hornii* & mota lis horreſcenda fuit, non *Wendelero*, qui diſſenſum eruditi uiri nunquam perterre facere ſe, nunquam paſſus fuerit in ſuam iniuriam explicari. Tibi dirae, tibi minae, tibi ira *Hornii* potuit formidini eſſe, qui uidiſti, quid ad te deuenturum eſſet, ſi uota *Hornii* implerentur, quibus cum iuſto & ingenuo feruore, magiſtellorum quorundam ſuperbiſſimam ignorantiam, ferocem inſcitiam, uirulentam barbariem, id eſt, tuas dotes, tuas artes, tuum ingenium execratus eſt. Tibi longe difficilius fuerit itaque, quam *Hornio, dominum eminens extorquere*, quippe quod ex cerebro tuo pridem cum omnibus, quae ex eruditione ſolidiore originem ducunt, exulauit. Unde facile fuerit colligere, ſicut *excitata magis ingenia plurimum ſunt immoderata*, ita torpentes ignauo ſitu animas plurimum trahere de luto; quo perinde ipſis eſt, uiuos & mortuos, cuiuscunque ſortis, dignationis, ordinis homines conſpurcare. Quomodo enim

alias tam audax fuiſſes, ut illuſtriſſimi Herois, *Carolii Friſii* patrocinium & fauorem, in eadem officina, cum turpiſſimis mendaciis & calumniis, proſtitueres & exponeres uenum? Narro tibi, ſi diutius probrorum, & famoſorum librorum.iuſtitorem agere conſtituiſti, ---- *de te largitor puer*;

Nec impoſterum ſummi uiri ſplendorem, cum ſordibus tuis permiſce. Dignum eſt *Friſii* nomen, quod in eruditionis peplo, cum Lycurgis & Maecenatibus in aeternitatem eat: & hoc audebit *Sarckmaſius* nequam in famoſo libello conſignare, in quo quam honorificentiſſime nominari, maxima infamia eſt. Quid conſignare? tanto ſceleri impunitatem inſuper ſperat, contra Saxoniae Lycurgum, in ſaxonia, faciem ſine fronte attollit, & quaerit, *quae lex tale facinus prohibeat, quae ratio uetet*? CAROLE TVAM FIDEM!

Et hucusque ſtrenue te quidem, *Sarckmaſi*, exercuiſti ad calumniandi palaeſtram: probaſti ſufficienter lacertorum improbum robur, quo toto niſu laboraſti, non ab honeſtate tantum, ſed ab omni honeſtatis opinione recedere. Nunc ipſum te ſubito deſeris, tecum in certamen impudentiſſimae ſtultitiae deſcendis, qui te hactenus fruſtra conatus es male loquendi proteruia ſuperare. Ais ne, o noſter ardelio, tu externarum linguarum ulli hoſpitium in animo tuo conceſſiſti, ut poſſes de curis aliorum ad conuertenda in latinum gallice uel Italice ſcripta, intentis iudicium ferre? & tam ſecurus es, ut non caueas, *ne Gallus aut Italus Grueco Germanum excutiat*? Prouidebis impoſterum hac de re tumet ipſe; quem ualde

de oportet in eruditos inuidum esse, ut iis tersiores tuas uersiones, quibus Italicam ubertatem cum suauitate Romana conditurus es, diutius subtractas sustineas.

Vereris forte, ne illi facilitate tua abusi, amplius id tibi negotii dent, ut *errores*, quibus *Georgii Hornii compendia* iactas *esse permixta*, nominatim exprimas, & quos ille uel *improuide sequitur*, uel *incaute describit*, speciatim designes. Ne irascaris, censor, si generaliter & uagabunde exprobranti nemo credit. Scis enim, quae mendacii merces a superis detur; ut nimirum.

Quicunque turpi fraude semel innotuit.
Etiamsi uerum dicit, amittat fidem.

Sed enim quid tu de fide sis sollicitus, qui ne mendaciorum apertorum non posses conuinci, palam mentiris te *de orbe politico & imperante ostendisse*, quae nihil aliud es, quam calumniatus.

Atque hae cum sint Parnassi tui artes, quis miretur *Spenerum*, uirum doctum & probum, in eorum a te numerum referri, quorum traducere nomina, carpere merita, cauillari labores non ob aliud es aggressus, quam quod ab improbitate tua dissimilibus studiis operarentur? nimirum uacaturus tibi fuerat hic in censura tua locus; si *Spenerus* relictis liberalioribus & honestissimis studiis, quibus grauiores curas subinde distinxit: sub te magistro praeoptasset in disciplina calumniandi proficere: Tecum antiqui seculi corruptos mores uitae suae probris exprimere: ad tuum exemplum cum Theologo non Politicum, sed maledicum sycophantam coniungere. Quod cum

 hucus-

hucusque tanta cum insolentia egisses; quis non miretur insperatam in te modestiam, qua iudicium de *Speneri* laboribus a Politicorum sententia suspendis? Quo tu deuenisti scriptorum Ciuilis prudentiae, tam alto suffragio tuo proclamate sine Collega iudex? si non est Politicus, qui *Speneri Syllogen Genealogicam plus decreuit ab oleo quam ab animo laudandam*: (digna uox dictatoria maiestate, sed cui a tribunalis cornu barbaries assidet) an hic qui ultimus furoris gradus esse solet, temet ipsum amisisti; tui aliquo loco, dum per obscurissimas Parnassi tui cauernas repis, oblitus es? Dabo recordationi memoriaeque tuae colligendae uel praesidium uel instrumentum: Si ueteri sapientiae illum adhuc tenorem constare arbitraris, ut eo quaeque relabantur, unde traxerunt originem, quaere limo mersam dignitatem tuam, non apud *Ephemeridum gallicarum authores*: quorum institutum adeo non tuum crimen absoluit, ut imitatione potius tua & exemplo infametur:

Qui *Poppingium* & *Heremontanum* libidini tuae immolas, saltem quod ille ante operis editionem aliis in se meritis publicam expectationem conuertisset; hic operis nondum editi titulum tibi ostendisset. Nimirum, ut quam maxime uirulenti esse solent morientium bestiarum morsus, ita propriam rabiem consumturus furor tuus, hoc ultimo specimine, collectas improbitatis uires uenenatissimo impetu emisit.

Hoc tam famoso praelio, tam uasta strage innocentium, non est mirum, quod, sicut uenditas, meritus es, ut ipsi rerum naturae a secretis habereris, & nox atque dies in aurem tibi loqueretur, proque bonorum

in-

incolumitate furori tuo intercederet. Intercedat ille porro, imo iam intercessit propria tua conscientia, quae saeuissimis flagris, & acutissimis ictibus, etiamsi refrageris, etiamsi ad extinguendum eius imperium, obliterandum dictamen, sopiendos morsus omni robore tuae impudentiae contendas; inuito tibi & reluctanti ingerit; quam imbecillis quamque uana sanandis his uulneribus medicina sit, peruersi genii mandatum, & alieni sceleris exemplum allegare. Hinc est, quod *liuorem odisti*, quod *iniuriam detestaris*, quod *abominaris calumnias*: Habet enim hoc in se omne magnum facinus; & inprimis maledicendi obtrectandique, cuius te reum fecisti, rabies; ut iniuriam innoxiis capitibus intentatam, in authores suos retorqueat & ulciscatur, eosque non in caeterorum tantum hominum, sed sui ipsius odium, fastidium, abominationem rapiat. Intercedet illi diuina nemesis, cuius iusto iudicio *si animo peruerso esse non desieris*, in illa fouea, quam sepeliendae aliorum famae fodisti, propediem ipse iacebis,

--- *O canis* --

Qui concupisti subito nomen regium,
Triuio conceptus, & educatus stercore.

Intercedet illi, nisi spes & uota bonorum omnium falsa sunt, Albipolitani iudicis iusta seueritas, qua tanto citius in scelus tot legum sanctione damnatum animaduerti fas erit, quanto perniciosius futurum esset exemplum, si constaret, ulli regioni bonorum & innocentium contumeliam cordi esse, non esse ultionem.

Intercedet denique illi totius literariae reipublicae uni-

animosa cordataque prouisio: in qua quoniam tibi placet, *Sarckmasi*, *sint* maneantque *liberae linguae*, sed non in calumnias & scelus, ad quod licentiam tibi arrogasti. Proscribatur ex ea tyrannis & herilis dominatus: sed non, ut in ea, tanquam in Cyclopum patria, confusis omnium ordinum bonis malisque meritis,

Eadem histrioni sit lex, quae summis uiris.

Non ut in ea ruens in omne nefas impetus, libertas nominetur: non ut procax mentiendi lubido, pro studio ueritatis praemium ferat; audacia sub liberalis animi; impudentia, sub modestiae uelo de honesta disciplina triumphet. Ex qua, postquam de famoso libello tuo, pro eius merito, sententia lata fuerit: nemo aegrae feret apud improbos illum in pretio haberi, quem omnium doctorum & honesti moris amantium uirorum unanimis consensus aeternis censebit tenebris condemnandum.

COM-

X. COMPARATIO

CONSTANTINI GERMANICI (*h*)

&

SARCKMASII.

GAudete Aucupes,
Coelum ruet.
Gigantes in procinctu sunt
imposituri Pelio Ossam
Ipsosque Deos e sedibus deturbaturi.
Exhibita iam est uelitatio
Ducibus, nisi fallimur, ualde strenuis,
quorum alter
sub CONSTANTINI GERMANICI,
alter
sub SARCKMASII larua
latibulum non satis tutum quaesiuit.
Vtrique
diuerso conatu, diuersis studiis, diuersis hostibus,
in eo consentiunt,
ut Coelum ruat.
SARCKMASIVS inuadit,
quos Eruditorum consensus pro Diis habuit ;

(*h*) i. e. *Phil. Andr. Oldenburgeri.* Quo nomine pestilentissimum illius scriptum, quod *Itinerarium Politicum* inscripsit, prodiit. Ceterum haec Comparatio, iudicante Cl. Struuio l. c. 408, ironica est.

CONSTANTINVS
Reipublicae Germanicae Deos prouocat.
Aequalis pugnantium temeritas;
Impar exercitatio.
alter arma gestat plumbea;
alter straminea:
Sed utrinque res caret periculo.
SARCKMASIVS ingenium ostentat;
CONSTANTINVS scribendi patientiam.
SARCKMASIVS foret doctissimus, si minus esset superbus;
CONSTANTINVS foret superbissimus, si magis esset eruditus.
SARCKMASIVS lectorem cum aliqua suauitate dimittit;
CONSTANTINVS nunquam sine nausea.
Illius breuitas raro est inepta;
Huius ineptiae raro sunt breues.
Ille condidit Satyram;
Hic euulgauit Locos communes.
O si SARCKMASIVS legisset suum Tacitum habuissemus eum pro Politico:
&
O si CONSTANTINVS tacuisset, habuissemus eum pro Philosopho.
Nunc
intempestiuus utriusque pruritus
Scabiosam misellis Scriptoribus relinquit memoriam.
Interim
SARCKMASII me miseret;
CONSTANTINO indignor;

& tamen uterque ridiculus eſt.
SARCKMASIVS quibusdam uidetur ſtultus;
forſitan intra ſe ſatis prudens,
CONSTANTINVS uideri uult prudens;
ſed interius premit leporem.
SARCKMASIVS diuulgat abſtruſa;
CONSTANTINVS arcana;
Aſt uterque incertam famam ſequitur;
ac proinde
Credulitatis occurrit plurimum,
experientia minimum
Iudicii nihil.
SARCKMASIVS tamen paulo accuratius
uidetur collegiſſe rumores,
quos nimium praecipitauit
CONSTANTINVS.
fortaſſis SARCKMASIO adfuit,
qui nolentem inſtigaret;
CONSTANTINVM, ſi fruitur amicis,
nemo non a curſu prohibuit.
Iam;
Vbi laeſa eruditorum patientia
In furorem Philoſophicum degenerauit,
SARCKMASIVS nauigat mare
magis aeſtuoſum, ſed minus periculoſum,
CONSTANTINVS inter media halcyonia
naufragium inuenire poteſt.
SARCKMASII odia atramento expiantur;
CONSTANTINI nefas Sanguinem poſtulat.
Ille fodiendus;
Hic occidendus;
Ille dignus qui deiiciatur e cathedra;

Hic

Hic dignior,
qui respondeat ex Carcere.
At uero mirum est,
Praeclaros Viros SARCKMASIVM
responsione fuisse dignatos;
Illustres Personas CONSTANTINO non
immisisse lictores.
quippe,
SARCKMASIVS ad ciuilis prudentiae Scriptores
est catellus ad Caballum;
CONSTANTINVS ad Principes est scarabaeus
ad Aquilam.
Coeterum
Mercurius Parnasso delapsus
Apollinis sententiam promulgat,
quo decernente,
SAKCKMASIVS meruit ferulam,
CONSTANTINVS gladium.
Nam quorsum spectat ista licentia?
sancta Principum capita,
Vertices Maiestate conspicuos,
in ludibrium exponi
Subditis, exteris, barbaris.
Certe,
Si non abludunt a uero
quae notantnr uitia
tale tamen, quod scribendo applicatur, remedium
& extra prudentiam
& infra efficaciam est.
Quia nequicquam in eos stringitur Charta,
qui ultra chartam saeuire possunt,

&

& nemo nisi canis irrationalis
aduersus lunam audet latrare,
sed fama est
utrisque
Seram in fine obrepsisse poenitentiam,
& alterum quidem
in secessu Albipolitano,
Inter futurae relegationis spem & metum
Vitam precariam trahere;
alterum uero
a circumspectioribus admonitum;
pedem Germania extulisse,
adeoque
se a Iouis fulmine longius remouisse:
etsi timendum est,
Vt longorum annorum decursus eluat,
quod Magnates
alta mente reposuerunt semel.
Sic miseri turdi
e Suo stercore uiscum inscientes progenerant.
Vos autem reliqui,
qui magis in usum Bibliopolarum;
quam bono publico scribitis,
Ite nunc,
& si nouaturienti seculo
Vestras ingenii simias
pro liberis legitimis obtrudere cupitis,
aut tectius
aut cautius,
Vel si per salutem communem rogare fas est,
nihil scribite.

XI. PI-

XI. PICA PIERIS (*i*)

hoc eſt

SARCKMASIVS

Ob intempeſtiuam Loquacitatem, qua Muſas ſinceriores prouocare non erubuit, in PICAM mutatus,

Ex

HELICONE

M. DC. LXIX.

Mercurii

FASCICVLVS

e

DEORVM

Concilio, & Conſilio.

* * *

INfelix PIERIS progenies, cuius

Ge-

(*i*) *Non tutum eſſe multos laceſſere, multorumque ſolicitare inuidiam, etiam magni ingenio & probitate uiri experti ſunt.* Socrati, *Morali Sapientia Eruditorum Principi, Capitale fuit, certa hominum genera irriſionibus torſiſſe. Accuſatores enim eius*, Melitus, Anytus, Lyco, *de factione ſuorum gregum ſoliciti, impietatis eum, iam antea ſermonibus traductum arceſſebant. — Multi religionis uiolatae apud Athenienſes uel accuſati, uel neglecti: Solus eo nomine* Socrates *capitis poenam luit, quia nimirum & Iudices & actores, aliis nominibus irritatos, infenſos habuit. Fugiendum igitur multorum in nos odium: Potentiorum in nos aculei cauendi.* V. *Gr. Lentulus* Ian. Reſer, p. 291 & 92. Anootatio *C. Gr.*

Genium Faſtus,
Nefaſtum ingenium,
Caſtum MVSARVM Caſtrum,
Parnaſſeis in hortis,
non ita pridem
inuadebat, obſidebat, prouocabat,
ſiſtitur
nunc
ad
Sapientiſſimum aequitatis Tribunal,
ſubiectus
Votis excandeſcentium
Ignotus Graeculus,
Notus graculus
Notatus
Tot Nominibus Reus
Quot Iudiciis Clarus
Tiara, Sceptroque ſcholaſtico Magnus,
Loquacitate maior,
Inſolentia Academica omnium Maximus,
quae ueluti
Ignorantibus eſt Oraculum,
ita,
Scientibus ludibrium;
Ille
EVBVLVS THEOSDATVS SARCKMASIVS
Praeſtolaturus
a
Iuſtiſſimo Iudicum
ſententiam
a
Seuero ſcelerum uindice
APOLLINE

Prae-

Promeritam incredibilis Audaciae poenam.
Et ſane
Nihil Nihil
eſt,
Quod Temeritati tuae ſeruire poſſit
ad eleuandam commiſſi ſceleris grauitatem,
unde non maius pondus accedat
eiusdem enormitati;
nam ſi
Sanctioris Conſili Praeſes
Supremus Sapientiae Arbiter
Satyricae quantus eheu Repudiator!
APOLLO
Eas obſequio tuo impoſuit partes,
Quas ſapientiſſimus quisque declinaret,
id eſt
EX TE
olim
Non nouem uirginum
ſed
Virgae Magiſtrum
fecit:
Quis eo ipſo
non agnoſcat
Nec ſolii, nec Dignitatis, nec Fideicommiſſarum
cuſtodiam
Tibi
Vnquam fuiſſe demandatam;
Sceptrum enim, ſi quod uibras
eſt infra Terrorem, ac reuerentiam
omnium,

de

de
Cuius,
Quarumue
Reprehensione plus constat
quam satis;
Ter magis quoque licet interfueris cohortem triuia-
lem tuam quam alius;
Terminus tamen te, nunc uenerantur
quam infra
sortem Mediastinorum
ad alieni pedis Minist eria condemnatum,
usque adeo,
ut
ni ea,
qua opus forte non fuerat,
iracundia,
Musarum alia
in Te,
sic satis ferociens,
animaduerteretur,
dudum haud dubie
periisses,
non aliter atque
CANIS SVB FVSTEM MISSVS
miserrime enectus,
uerbo:
Exercuisset uires omnes inhumana rabies,
sed
Quia uerendae Maiestati
proniore obsequio parendum
retusi non minus sunt

parati uotis colaphi,
Rationisque Imperio
conuerſi,
in
ſubſequens
Iuſtiſſimum Clementiae Decretum:
QVIS QVIS
APOLLINIS bonitatem delinquendi audacia
tentat,
Palmari temeritate in eum DEVM reus eſto;
SARCKMASIVS
HONOREM AVTORITATIS
contemtu uiolauit,
nugacitate prouocauit,
Manu uſus
Mente abuſus,
emeritus
Poenae loco
\-
\- - - - qui in perpetuum
Inter PICAS circumferat loquacitatem ſuam
Choro MVSARVM indignam,
digniſſima PICA,
PICA LOQVACISSIMA.

XII.

XII. COLLOQVIVM
occasione tumultuantis
Verasii
in
PARNASSO,
inter
APOLLINEM MERCVRIVM,
LABRONEM a VERASIO & SARCMASIVM
habitum,
de
IVDICIIS SARCKMASIANIS
non ita pridem ex Parnasso
editis, calamo exceptum,
&
Eruditis *bona mente* communicatum
ab
AVGVSTO FLORIDO de MONTAL-BANO. (*k*)

IRENOPOLI.
Excudebat Bonifacius di bella bosca,
A. CIϽ IϽC LXIX.

Apol-

(*k*) Autor scripti est *Christianus Henelius*, tunc temporis Philosophiae Magister & Iurium Studiosus, hodie degens Francofurti ad Oderam, unde & Manuscriptum hoc Colloquium attulit Bibliopola Francofurtensis, *Hekelius*, ad nundinas uernales Lipsienses, ubi locorum describi istud typis curabat; Retulit hoc ipse *Conr. Sam. Schurtzfleischius*. Idem *C. Gr.* haec adscripsit exemplari meo: Conf. *Notae Sarckmasianae*, num. *V*. Ceterum scriptum hoc pro *Sarckmasio* est, uel

A *Pollo*: *Ad arma, ad arma*, Dii Deaeque, Musae & Musarum Filii, quotquot uestrum Parnassi nostri Palatia incolitis, *ad arma confestim, ad arma, hostis ante portas est*.

Mercur. Quid hoc, obsecro, rei est, Sapientissime Apollo, quod tantum tam repente Excellentissima uestra Dominatio undique excitet clamorem atque tumultum? Dic quaeso, quid Te ita conturbat, Apollo?

Apollo. *Ad arma, ad arma*, Mercuri, confestim collige copias.

Mercur. Miror certe ac demiror, quid subito tanti mali contigerit Apollini, ut uoce plusquam stentorea subinde *ad arma, ad arma*, clamando quasi mentis impos factus uideatur!. cum tamen nullus Deorum quidquam de ullo hoste ita timendo, postquam Gigantes Iouis fulmine ad inferos detrusi sunt, audiuerit, qui uel coelum, uel Parnassum occupaturus sit. Sed forsan nouae turbae a *Gallis* excitatae sunt in Hispania, aut *Turci* suppresserunt Candiam, ut suppetias aut Hispanis aut Venetis laturus sit Apollo. Ex ipso accuratius hoc percontandum est. Quis itaque, o Apollo, tam temerarius ac imprudens, ne dicam impius, quis tam audax, imo quis tam uesanus ac demens, ut neglecto ueterum illorum Gigantum exemplo, quos magnus Iupiter potentes suo fulmine ac tonitru contriuit, non reformidet, simile periculum circa Parnassum subire?

Apol-

uti *Cl. Struuius* in Introd. ad R. L. p. m. 408. optime obseruat, a quo sine causa *Dahlmannus* in Theatro Anonymorum & Pseudonymorum &c. discedit.

Apollo: Ah! nescis imprudens, quale bellum concitatum sit, tale scilicet, *quale nulli seculo cognitum, nulla Patrum memoria auditum est!* Tune solus es, ad cuius aures fama tam horrendi huius belli non peruenerit? At nunc non tempus est diu confabulandi, res ipsa aggredienda & uidendum est, quomodo arma armis opponendo nostram auctoritatem tueri ualeamus. Itaque pro imperio Tibi praecipio ac uolo, ut absque ulla longiorum morarum ambage, quantum copiarum ex Parnasso poteris colligere, statim conscribas, cito exerceas, & contra hostem repente in campum producas. Ne ex improuiso imparatos nos obruat.

Mercur. Hem! Vah! Ah! Quid malum! Tam diu nobis hactenus in Parnasso frui otio concessum est, nec multum ego bella curaui, quin Marti potius propriam illam curam reliqui, & tam in opinato, tam subito, mihi *Generalissimi* demandatur officium. Credo, iratum nunc esse *Apollinem Marti*, aut ipsius copiam non statim potuisse nancisci, quod mihi hac partes imposuerit. Ah! Vae meo capiti! Conscribere debeo exercitum, contra hostem in campum producere, manus denique cum hoste conferere! o quantae plagae, quot uulnera, quot clades, sequentur! Nec dubito, quin formidandus maxime hostis aliquis adsit, ipsisque Gigantibus magis horrendus, cum ita trepidet ac tremat Apollo, ut neque pes, neque manus, neque lingua, suum officium satis commode faciant; Non ibo, non colligam copias, non confligam. Demandetur cura haec alii, mihi cum bello nihil negotii sit. Heus *Apollo*! at ne & ipse pa-

pusillanimis uidear, quod reprehendo nunc in *Apolline*, scire prius uolo, quis hostis sit. Dic itaque, *Apollo*, quis est ille, qui *Parnassum* aut coelum turbaturus est, dic, si uis me iussa tua exequi, aut alium Tibi elige.

Apollo: Ah! homo est à nomine, quo uocatur, nobis quidem non notus, ast, ut describitur, audacissimus & crudelissimus, qui tantum concitare bellum nunc studet. Sed, quod commode succurrit, cum nolim Martem interesse huic negotio, *Labronem a Verasio* Vicarium tuum Generalem constituo.

Merc. Proh Deum fidem! quid iterum noui? quis iste, quaeso, nouitius heros est, qui tam bene de *Apolline* & ipsius regno est meritus, ut tam amplo praeficiatur muneri?

Apollo: is ipse est, qui tam funestum illud nuncium nobis attulit.

Merc. itaque si bene coniicio, erit (cum extraneum uel ex solo nomine Parnasso ignoto existimem) fortassis *Nuncius* quidam *Apostolicus a Latere*, qui nunciauit *Turcos* arctissime nunc premere Candiam, ut festinatae & ualidae necesse sint suppetiae, quas nomine sanctitatis Papalis a Te, tanquam potentissimo Deo solicite expetit?

Apollo: Neutiquam.

Merc, Aut missus ab *Hispanorum Rege* Legatus ad impetrandum a Te auxilium, siue aduersus tumultus *Don iuan d' Austria*, siue aduersus nouas aliquas turbas *Gallorum* in *Flandria*?

Apollo: Erras.

Mercur. Proinde a *Polonis* erit ablegatus, qui

pro-

proximis, si modo hoc anno aliqua speranda sunt, Comitiis, non uane noua mala a uicinis *Turcis, Tartaris, Moschis, aliisque* metuenda habere uidentur. Modo falsus fuerit Vates, ut ipse optat serenissimus CASIMIRVS, dum *nihil certius futurum* indicauit, *quam quod Respublica hoc interregno in direptionem Gentium itura sit.* Truculentissimi igitur ac immanissimi hostes, cum putentur *Tartari ac Turci*, illi forte erunt, quibus cum rem nobis fore nunciauit iste *Verasius*? Aut inquietus *Lotharingius* per istum hominem aduersus serenissimum palatinum, postulat auxilia, quae si concederes, inique ageres.

Apollo: nihil est horum.

Merc. Dic itaque, quid rei sit?

Apollo: Nunciat bellum parari non inter extraneos aliquos populos, sed *in ipso nostro parnasso.*

Merc. In *Parnasso*? *Apollo.* Ita *Merc*: ille dicit? *Apollo*: Recte, *Merc.* Atque confirmat? *Apollo*: scilicet. *Merc*; at ego ne uerbum audiui, nec ullum indicium sensi horum tumultuum. Unde itaque ipsi soli tanta contigit notitia?

Apollo: id equidem nescio. Cum enim totus tremens ac trepidus hodie me accederet, & hominem quendam, cui uel Amplissimos Parnassi nostri senatores, & praecipuos nostrae Maiestatis defensores ac conseruatores contemptui esse, *cui nullam meritorum Conringianorum religionem, nullam erga Boeclerum reuerentiam, nullum denique inuidiae metum esse* praedicabat, bellum in *Parnasso* parere diceret; iusta indignatione aduersus huiusmodi hominem exardescens, totum ego statim eo me contuli, ut

ut auctoritas tantorum uirorum & uniuerſae Reipublicae noſtrae literariae ſarta tecta, atque illibata atque illaeſa poſſit ſeruari, nec detrimenti quid capiat. Ac proinde non cogitaui uel de fundamento ſuae adſertionis, uel de nomine noui iſtius hoſtis diſquirere.

Merc. Quid itaque, ſi Nugae ſint? ſi ineptae quaedam locutiones hyperbolicae?

Apollo: ita quidem uelim, ſed metuo ‑ ‑ ‑

Merc. Sponſionem fere auderẽ facere, imprudentem quandam ſermonis grauioris arrogantiae haec timoris plena uerba extorſiſſe homini. Iube, quaeſo *Apollo*, ipſum accerſi, ut accuratius ipſum examinare, & quid agendum ſit, diſcernere ac conſtituere queamus.

Apollo: id quidem facile poterit fieri, cum in proximo conclaui expectare ipſum iuſſerim. Heus Domine *Labro*! exi foras. Vide, quam adhuc tremit ac trepidat!

Labro: Exhorrui, imo paene obſtupui.

Merc. Audio, & hunc hominem totum, ut illum *Heluetium*, cor eſſe credo, ita palpitat.

Labro: at, eſt ne hic *Mercurius*, Generaliſſimus Parnaſſici exercitus, cuius me Generalem Vicarium conſtituere Apollo decreuit? Eſt. Salue iupiter! Salue Mercuri!

Apollo: ſalue & Tu, *Labro*!

Merc. Non equidem memini, me ante hunc diem ullam tui habuiſſe notitiam; interim tamen, cum humanitas ſalutantem reſalutare poſtulet, & tu ſalue! at heus! cuius es, & quid hic Tibi negotii?

Labro: Qnid gentem meam & patriam noſſe ad

Te

Te attinet? Negotii quid hic mihi sit, quod quaeris, magis etiam miror, qnasi ipsius grauitatem non ab ipso *Apolline* iam intellexeris.

Merc. Quid tum uero? an non iuuabit bis audire, quod semel non bene perceptum est.

Apollo: Ne graueris, mi chare *Labro*, ipse *Mercurio* exponere, quod a me narratum est, ut eo maiorem uerbis meis habeant fidem.

Labro: attende igitur.

Merc: attentissime.

Labro: EVBVLVS, THEOSDATVS SARCKMASIVS.

Mercur. Papae!

Labro: Vt auctor personatus, ita scribendo plane immoderatus. tale per hoc tempus in parnasso bellum concitauit, quale nulli seculo cognitum, nulla Patrum memoria auditum est.

Merc. Vah!

Labro: Exhorrui, imo paene obstupui, cum liberam *istam Nouitii Scriptoris censuram inspexi, in qua tam se praebuit iniquum, quam prodidit rixosum. Nulla ibi meritorum Conringianorum religio, nulla erga Boeclerum reuerentia, nullus denique inuidiae metus fuit.*

Mercur: Proh!

Labro: Scire peruelim, ubi iste lateat tam immodestus Censor, dignus, cui omnes ex Parnasso bellum denuncient.

Mercur, Ha, ha, hae! Quid uero tum?

Labro: Tum uero nunquam committendum est, ut ulla gratia illum habeat impunitum, cui nihil in Parnasso sacrum, nil uenerabile fuit; imo, cui iam tum in morem uertit scribendae Saturae cupido.

Mercur. Ha, ha, hae!

Labro: At quis rides?

Mercur. Parturiunt montes (& hem!) nascetur ridiculus mus. Ego tandem existimabam, cum tanta cum exquisitorum uerborum pompa & tam uehemente uocis grauitate imminens periculum a te, horrido toto atque stupente, describi audirem, *Taffilettam* forsan, qui tantum hactenus toti Africae incussit terrorem, iunctis omnium Barbarorum copiis occupaturum esse Parnassum. At nunc, quantum ex te audio, chartis pugnabitur & uerbis, non armis & telis. Bene est! Iam nunc, *Apollo*, recolligamus animum, & quomodo bellum istud sedari possit, uideamus.

Apollo: Sed quem tu, *Labro*, dixti *Sarckmasium*? quantum recordor, nomen mihi erit notum.

Labro; Illum *Eubulum Theosdatum, cui tu, cum sinceri tui admiratoris animum habueris perspectum, eas partes imposuisse* diceris, ut bellum huiusmodi concitet?

Apollo: Hem!

Mercur. Quid miraris?

Apollo: Id scilicet, quod ego ipse belli huius in *Parnasso* intestini auctor dicor, cum tamen nihil magis, quam tranquillitatem, meo in imperio desiderem

rem atque exoptem. Memini quidem, me non impi obasse ipsius institutum exponendi, quid in quoque Prudentiae Ciuilis Scriptore laudandum occurrat, annotandi etiam debita cum modestia, si quid nondum satis accurate elimatum deprehendatur, nec tamen intelligo, qua ratione hoc ipso bellum excitari potuerit publicum. Dic itaque clarius, & apertius nobis expone, quomodo res ista se habeat.

Labro: Fuerunt quidem aliqui, qui initio conatum Sarckmasii adeo non reprehenderunt, ut modice quoque laudauerint. Qui, cum nescio quem sibi ex triuio Sarckmasium breui post finxissent, mox studium ingenti inuidia mutauerant. Dixerunt etiam quidam, uel eo nomine ferendum esse Sarckmasium, quod scite scripserit & argute. Ast uniuersi, cum petulantissimam ipsius immodestiam paulo accuratius considerassent, odio atque inuidia erga ipsum accendebantur, omnesque ad bellum ipsi denunciandum inclinare uidebantur. *Sed ut de ingenio eius paulo manifestius constet, annotasse in rem fuerit, quod nuper ad Petrum Salinarium scripsit, amicum mihi in paucis. Refert, si recte recordor, Pompeiopoli Teutonum sibi nunciatum esse, futuros, qui secum descendant in arenam. Horum alios Boues Cyprios, alios ab inferis excitas Furias, nonnullos portenta ignorantiae, plerosque improbos nili-*

lilitigatores, multos ineptiarum sarcinatores, plurimos odii & calumniarum machinatores, indignis prorsus modis uocauerat. In quibus, si nihil aliud, certe moderationem desidero & grauitatem.

Apollo: Quod Epistolam, illam, cuius mentionem fecisti, attinet, sit fides penes auctorem, id tamen mihi uidetur ex dictis constare, immoderatam illam censendi & scommatibus certandi libidinem dissidiorum istorum in Parnasso causam esse. Non itaque mihi, sed ipsi, culpa huius belli imputanda est.

Mercur. Estne tibi exemplar (*l*) istius scripti ad manum? Profer quaeso, ut uideamus, quid laude quid reprehensione, dignum in eo occurrat, & quomodo istud, quod metuis, Labro, bellum, antequam ulterius grassetur, possit componi.

Apollo: Recte mones *Mercuri*, nemo enim priusquam auditus sit & causa cognita, condemnari debet, atque propterea nunc non decernentur *Labroni* auxilia, antequam de *Sarckmasii* crimine constet. Consultum itaque duco, ut ipse accersatur Sarckmasius.

Merc. Id & mihi uidetur consultum.

Labro: *At immoaesstus est, rixosus, improbus est: nihil ipsi in Parnasso sacrum, nihil uenerabile, tanquam ipse Parnassi Praeses Le-*

(*l*) Scilicet has chartas in Bibliothecam condit Apollo. Plane ridicule. Haec Gr.

Leges non accepturus est, sed daturus.

Merc. Nimis uero praeceps sit oportet, qui omnia quae audit, protinus credit.

Apollo: Quicquid sit, tu Labro, cur tantum timorem ac metum mihi ac Parnassi incolis ut incussero, operam dare non dubitaueris, dignumque iudicaueris *Sarckmasium*, cui omnes in *Parnasso* Bellum denuncient, Accusatoris partibus ipso Praesente, defungitor. Ut uirum te praebeas, uide,

Labro : Tametsi quidem nullius rei mihi sum conscius, qua lucem oporteat uereri, tamen ab inuidioso, illo accusandi munere *eo magis abhorreo, quo minus libidinem & taxandi istud Cacoethes amo. odi conuicia ipsius, quorum tam ingeniosus, quam foecundus*, an facundus dicam, *artifex est Sarckmasius. Tanta itaque eius in bonos iracundia cum exarserit, nimiaque animum subierit iudicandi licentia*, poteris me quadantenus excusatum habere a sustinendo isto munere.

Mercur: hic scil. ille *Thraso*, qui tantae grauitatis & uehementiae plena oratione insurgebat aduersus *Sarckmasium*, omnesque inepte excitabat ad bellum, nunc uel aspectum *Sarcmasii* sustinere uix potis est. Mitte modo hominem Apollo, quaeso, vides enim ineptum ipsum esse ad repugnandum *Sarckmasio*.

Apollo: itaque in hoc angulo subsiste & ausculta, si uero quaedam tibi uidebuntur, quando *Sarckmasius* aduenerit, monenda, ea proferendi licentiam habeto.

Labro: ita a me fiet. Nec uehementer nunc aduersabor *Sarckmasio*, *Longe enim alia mihi mens*

mens est a politico Cremonensi, qui nomen eius pi-ctturis famosis & hinc inde conquisitis probris la-ceraturum audacius iactat, quam cautius & melius fortasse consilii pretium erit. Depexum hunc ita reddet, Sarckmasius, ut, si recte ominor, cum uestigia terrent in posterum. Exemplum enim uidi literarum, quo formam exhibet uindi-ciarum immodice falsarum, immodice aculeata-rum. Nimirum ne idem mihi obtingat periculum, metuo.

Apollo: sed quis iste est homo, qui ita medita-bundus incedit, nisi me oculi fallant, est idem ipse, quem quaesituri eramus, *Sarckmasius?*

Labro: est iste profecto, ah! perii! occidi! *ex-horrui* ad aspectum, imo *paene obstupui*. Vereor, ne male hodie mecum agatur.

Sarckmasi Nunciatum mihi est nuper ab Ami-co, Pompeiopoli Teutonum, futurorum, qui ob mea ex Parnasso edita iudicia mecum descendant in arenam. Sed uereor, ne multi ipsos intersint ineptiarum sarcinatores, odiique & calumnia-rum machinatores. Inter quos, nescio quis ex no-uo orbe, *Labro a Verasio* ridiculus mihi uisus fuit prae caeteris. Scire sane peruelim, qualis iste sit Homo.

Labro: *parcam eius nomini, ut parcat meo. Nil detraham existimationi, ne detrahat meae.*

Merc, Cur non aduocamus *Sarckmasium*? Ali-am enim, quam ad Nos, uiam sequi uidetur.

Apollo: Heus tu *Sarckmasi*, accede, huc ueni!

Sarck-

Sarckmaſ. Satis pro imperio ſcilicet quisquis es.

Apollo: Reſpice ad me.

Sarckm. ah! non te uideram, quaeſo ignoſce & ſalue, ſumme *Parnaſſi* Princeps, *Apollo*! ſalue magne Muſarum miniſter, *Mercuri*! commodum uobis quos quaerebam, obuius hodie ſio,

Merc Verum dicis. Nam & nos te quaeſituri eramus.

Sarckm. At quis iſte, obſecro, homo eſt, *Mercuri,* in obſcuro ibi angulo latens? credo ex *Iaponia* forſan dono nobis miſſum eſſe.

Labro: Calumnias mitto, ne Bellum Calumniarum oriatur.

Mercur.: annon noſti?

Sarckm. certe non.

Merc. Nec tibi notus eſt *Labro* ille a *Veraſio* quem *Apollo* Generalem in Bello aduerſus te ſuſcipiendo conſtiturus erat Vicarium.

Sarckm. Vah! quid dicis? quid audio? Hiccine eſt caſtus ille dominus Labro, qui ſibi *caſtum animum, caſtam mentem, caſtum ſtylum eſſe*, uere an falſo, neſcio iactat. Hem ſalue bone Vir! non putaram, me tam feliciter hodie *ueſtrae Domi nationi* obuiam futurum.

Labro: comiter eum excipiam, ne mihi ſuam deneget comitatem. Sarckmaſio. Parnaſſi noſtratis duumuiro Grauiſſimo plurimam ſalutem. & omnis felicitatis abundantem cumulum deuotiſſime apprecatur ipſius Dominationis deditiſſimus ſeruus, ***Labro a Veraſio.***

Sarcm.

Sarckm. Quis credidiſſet, *Labronem* tam uenuſte ac ſcite tantis ceremoniarum uti ſcire deliciis? At quae, *Mercuri*, dixiſti de Bello aduerſus me, nondum ſatis intelligo. Ec quid nam etenim commiſi, quod miſers ego tam inopinato bello, nullis Militum copiis aut turmis inſtructus aggrediendus ſim?

Apollo: certe, parum aberat, quin id factum eſſet, ita iuſto odio *Labro* erga te excandeſcere me fecerat.

Sarckm. At quam ob rem? nec enim, me aduerſus ſacram tuam Maieſtatem quicquam mouiſſe, memini.

Apollo: id propter, quod tibi nihil in *Parnaſſo* ſacrum, nullam neque erga *Conringium*, neque *Boeclerum*, neque *Monzambanum*, neque quenquam alium eſſe reuerentiam audiuerim.

Sarckm. omni absque dubio, non alius fuit falſae iſtius relationis aſſertor, quam ille Dominus *Verbaſaus.* Quaeſo itaque ac obteſtor, *Apollo*, ut propius accedere ipſum, quaeque mihi obiecit crimina, demouſtrare iubeas. Sic enim ueritas elicietur optime. *Nil eo dixi, nil eo ſcripſi, ut offenderem, ſed ut ingenuo noſtri ſeculi more iudicia conſideranda aliis aperirem, nemini ſimpliciter approbanda praeſcriberem. A conuiciis abſtinui, calumnias abominatus ſum.*

Apollo: hoc proinde, *Labro*, ueni, expone, cum nunc coram ſit, quae *Sarckmaſius* crimina commiſerit.

Labro: at ego dixi Tibi iam antea, abhorrere me

maxime ab illa, qua utitur *Sarckmasius* dicendi licentia, & ipse propterea censuisti aequum, ut in hoc actu auscultatoris potius, quam accusatoris munere fungar,

Apollo: Ita est, memini dictum.

Merc. Apollo, si absque ordinarii iudicii solennibus plenissime rem decici cupis, ut per interrogationes procedas, optimum iudico; sic enim nec *Labro* accusare uidebitur, nec *Sarckmasio*, calumniis, quas metuit *Labro*, in ipsum inuehere licebit.

Apollo: Recte mones. Dic itaque *Labro*, quid tibi uideatur de *Sarckmasio*?

Labro: Primo omnium protestor, me non aduersaturum esse Sarckmasio, sed praecipiti eius iudicio, nullo tamen in personam odio, nullo rixandi obtrectandique stimulo accensus. Ego nil cum iis commune habiturus sum, qui eum uel Diris deuouere statim aggressi sunt, quorum stulta est pietas.

Mercur. O imprudens, iam ne oblitus es eorum, quae antea dixti? Quomodo enim uel stolido persuadebis, te non aduersari *Sarckmasio*, neq ullo in ipsius personam odio, nullo rixandi obtrectandiue stimulo accensum esse, &c. qui modo dignum iudicabas, cui omnes ex Parnasso Bellum denuncient, nec unquam committendum dicebas, ut ulla gratia illum habeat impunitum, quid enim aliud facis, quam ii, qui ipsum Diris deuouent. Horum itaque, si, uti dicis, stulta est pietas, te quoque stultis piis accenseri necesse est, uel tuo ipsius iudicio.

 Labro:

Labro: *Ego non delector calumniis, nec certamini ad Pasquinum me immiſceo.*

Apollo: Sine modo *Mercuri*, ne ipſius irrites patientiam, iramque uertas in inſaniam. Quapropter cum non uacet prolixiori uerborum apparatu tempus perdere, quin potius ex dignitate noſtra ſit, intimas utriusque iudicii rationes excutere, & qua uſus uterque modeſtia, quaque laude aut reprehenſione dignus ſit, diſpicere; Dic tu *Labro*, quid te INSTITVTO illo SARCKMASIANO cenſendum putes.

Labro: *Nolim praeterire, audiuiſſe me ex multis, Sarckmaſium iſta iudicia edidiſſe non tam ut approbaret, quam ut aliorum iudicia ſuper hac re exploraret. Retulerunt alii, id ſpecimen ad refrenandam imperite ſcribentium multitudinem edere uoluiſſe. Qui facile poſſent coniectare, quid de ſe iudicaturus ſit Sarckmaſius, cum talem in modum de ſummis iudicauerit uiris. Sed coniecturas loquor, dum haec loquor. Ab aliis uero didici, Scriptum eo conſilio uulgaſſe, quo ſciſcitari liceret, quomodo Literati hanc ſcribendi libertatem eſſent interpretaturi. Si bene res cecidiſſet, & impune licentiam tuliſſet, ad Maiora graſſaturum fuiſſe.*

Apollo: Trifariam igitur huius inſtituti rationem cenſeri refers, quarum prima imprudentiae, altera arrogantiae, tertia malitiae ſpeciem habere uidetur.

Merc.

Merc. At, sapientissime *Apollo*, nonne audiuisti, *Labronem* ipsum fassum esse, se partim coniecturas loqui, dum haec locutus est, partim ab alio ea didicisse. Iam uero *aut parum digna sapiente, aut ne quidquam circumspecta credulitas est.*

Apollo: Ita est. Id propter quid *Sarckmasius* responsurus sit, audiamus. Dic itaque aperte, quam ob causam iudicia ista de tantis Viris publicaueris?

Sarcmas. supreme Satyricae sapientiae arbiter, Apollo, si uel ulla aemulatione inuidiae, uel cupidine ambitionis, uel suspicione odii hoc ingrederer institutum, ut *Labro* mihi imputare coniecturis istis suis non erubuit, *haud dubitarem, quin reprehensionem Parnassi & omnium Musarum incurrerem. Nunc cum ipse Tu, Sanctioris huius Consilii Praeses, meum sinceri tui Admiratoris animum plus satis habeas perspectum, eas mihi partes imposuisti, quas sapientissimus quisque, opinor, declinaret. Sed cum tui causa defugere quidquam, religio, qua tibi teneor, prohiberet, censui, mihi ad Conscientiam satis fore obsequium & amorem parendi. Liuorem alioquin odi, & iniuriam detestor, nec facio cum eis, quibus, ut non nemo ait, insita natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere.*

Apollo: Modo ita esset, ut dixti; ast audiamus, num *Labro* quaedam hic opponenda habeat, tum uidebimus quid de singulis Prudentiae Ciuilis scriptoribus

iudicaueris, ut pateat, quo fine scripturam istam aggressus sis. Quod autem de tuo erga me obsequio & amore parendi praedicas, non dubito de tuo animo, nec reprehendo absolute institutum, modo debita cum modestia & prudentia id ipsum executus sis, de quo dispiciendum erit.

Labro: Nimis seu ira seu insolentia aestuasse eos putauerim, qui famosum illi exprobrare coeperunt carmen. Id ut ego non dixerim, ita nil ad nimiam acerbitatem defuisse affirmauerim. sed paulatim hic impetus praeposteri iudicii deferbuit, postquam ii homines intellexerunt, nil ibi ad auctorum contumeliam scriptum esse, imo, si recte auguror, sarckmasius meliori animo, quam opinione fuit; Quicquid huius sit, tantum liberiorem Censuram reprehendo, quae in istam sarckmasii lanuginem non cadit.

Merc: Ineptus sane es *Labro*, si ex promissa barba ad profundam argumenteris prudentiam. Multi olim erant inter Gentiles Philosophos stulti, qui longiori barba accuratiorem ementiri studebant sapientiam.

Sarckm. Si mihi est licitum, cum tua, sapientissime *Apollo*, uenia, pauca interfari uerba, miror, quam obscure in istis uerbis (*ut nimis seu ira, &c. defuisse affirmauerim,*) explicuerit suam mentem *Verasius*, ut certe quid dixerit, aut dicere uoluerit, assequi non possim. Quaeso dilucidius suam mentem explicare ipsum iubeas.

La-

Labro: sordeat Sarckmasio stylus communis, sordeat quoque meus. Nil mea refert, stultus sim, si arrogantissimi Centonis arbitrium formidauero, qui meminisse debuit, stylum ueritatis interpretem esse, non instrumentum acerbitatis. Sed & credat Sarckmasius, me styli gloria ipsum facile aequaturum, si non iam tum aequaui, imo, si non uici.

Merc. Scil. si inutili uerborum tropicorum congerie aut hyperbolicis locutionibus, aliisque puerilibus dictionis Schematismis certandum esset, non dubitarem, Te hactenus uicisse *Sarckmasium.*

Labro: Nolim, quid sentiam, audacius loqui. Esto, scripserit, ut laudatur, scite & argute, confitendum tamen est, scripsisse saepe parum probe & certe minus modeste.

Apollo: Hoc itaque iam discutiendum est. Dic proinde *Labro*, primo, de quibus Auctoribus iudicia sua exposuerit?

Labro: De CONRINGIO, BOECLERO, MONZAMBANO, BVRGOLDENSI, LENTVLO, RACHELIO, NICOLAO MARTINI, PVFENDORFIO, SPRENGERO, IOH. FRIED. HORNIO, Le BLEV, GEORGIO HORNIO, SPENERO, POEPPINGIO, RELFENDSO, incidenterque de aliis.

Apollo: Agnoscis igitur, *Sarckmasi*, ea nomina, quod sub tuam censuram uocaueris?

Sarckm. Agnosco, idque a me factum esse fateor

ſed inſuper etiam de pluribus, ut *Feldeno, Loccenio, Kranichfeldio, Heſenthalero, Goclenio, Brandio, Felwingero, Pellero, Textore, Winckelmanno, Teutoburgio &c. me dicturum eſſe recepi, ſi gratum huius iudicii ſpecimen fore acceperim.*

Apollo: Quid itaque, *Labro*, de CONRINGIO cenſuit *Sarckmaſius*?

Labro: Conringio rerum absque ſe alienarum ſtudium exprobrat. Perinde quaſi Politicus Theologi, Theologus Politici, hoſtis ſit & euerſor. Fallitur, ſi ita iudicat intempeſtiuus ille cenſor. Sane ineptit, qui tanto uiro ineptias imputat.

Sarckmaſ. Nate negare ſane non poſſum, exprobraſſe me ſummo, illi rerum Germanicarum Doctori πολυπραγμοσύνην, & quidem merito, cum ipſe eruditione atque profeſſione Politicus & Medicus non debeat ſe immiſcere rebus adſe nihil pertinentibus, ſed ICtis atque Theologis ſua relinquere.

Merc. Certe non impune feres, quod absque merito famam huius uiri ſugillare non erubeſcas.

Appollo: πολυπραγμοσύνην in *Conringio* agnoſco, at laudi, non uitio, ipſi eam uertendam eſſe dico. Nam ut damno *inquietam inertiam eorum, qui ſine propoſito uagantur quaerentes negotia, nec, quae deſtinauerant, agunt, ſed in quae occurrunt; quibus inconſultus uanusque curſus*

ſus eſt, qualis formicis, per arbuſta repentibus, quae in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur (ut loquitur *Seneca* de tranquill. anim. Cap. XII.) Ita laudo maxime generoſam magnorum ingeniorum ſolertiam, quando ipſa in pluribus ſcientiis & artibus feliciter ſe exercere conſpicio. Et neſcio certe, quomodo tu ipſe, *Sarckmaſi*, (qui tamen te minime comparabis *Conringio*) ab eadem πολυπραγμοσύνη Te purgare queas, cum & tu non contentus S. Theologiae ſcientia, nec Iurium prudentia Politices inſuper curam ſuſceperis. Denique cogitare debebas, quod Auctor *Caſtigationis Libelli aduerſus Conringium editi p. 51.* recte & eleganter dixit de ſe ipſo: *Vires meas aliorum ignauia uel infortunio non dimetiar. Iudicium de ita ingeniatis non debet permitti iis, qui cum uideant uulgo non usque adeo alte aſcendi, nec altius quidem ſcandi poſſe, ac intra per anguſtos unius cancellos doctrinae omnia ingenia conſtringenda delirant, ſuis unis adeo moroſe dediti, ut, dum reliqua uniuerſa contemnunt, nec ſua quoque perdiſcant.* Sed numquid amplius in magno iſto uiro reprehendis?

Sarckm. Vehementiorem praeterea *animi cum erga Wasmuthum, tum erga alios innocentes impetum* coarguo.

Apollo: Quid cenſes Mercuri?

Mercur. Audiamus rationem.

Sarckm. Nefas eſt, omnia, quae ſentiam, loqui. Amarus cibus eſt ueritas, quam paucisſimi capi-

unt, pauci cupiunt, plurimi oderunt. Nolo tanti aestimare illum, quem dixi, impetum, ut propterea laudibus *Conringii* quidpiam detrahi debeat. *Scilicet alia Theologo, alia Politico, mens est; illi ardor, huic moderatio utramque paginam facit.*

Mercur. Siue tu proprie siue ironice posteriora haec uerba uelis intellecta, erras. Si enim *proprie*; neutiquam Tibi consentio, quod ardor Theologo utramque paginam facere debeat. Quantas enim in ipsa Protestantium Ecclesia intempestiuus quorundam ardor excitauerit turbas, & etiamnum quotidie, summo cum Ecclesiae damno, excitet, te ipsum non ignorare noui. Et, ut ipse *Conringius* loquitur, *quam misere habeant sese res nostrae, dum alibi nonnullis permissa est hactenus tumultuandi calumniandique, imo saeuiendi in quosuis bonos effrenis licentia, nemo (heu!) pietatis & charitatis Christianae consultus ignorat* (p. 73. Vindic. aduers. *Wasmuth.*) *Quandoquidem non zelo pietatis, (qui excusare quadantenus posset) haec ita fieri a nonnullis, sed ex fastu & omnibus sese praeferendi cupidine, liquido demonstrat ipse scribendi Character optimus idem character animi; & quia zelus hominum amarus munitus non nihil est scientia; qualem tamen S. Iacobus docuit terrenam esse, animalem ac Daemoniacam.* (ibid. pag. 76.) Ne autem cauillandi ex his dictis ansam possis accipere, scias, me non omnem,

mnem, sed solum, non iustum, sed iniustum, non prudentem, sed intempestiuum, reprobare uoluisse ardorem. Si autem *ironice* scalpis *Conringium*, scito, ipsum non ut Theologum aduersus Theologum (in sensu reduplicatiuo,) ea in Wasmuthum coniecisse conuicia, sed ut uirum bonum ad defendendam suam famam aduersus insultantem. Verum ipsum *Conringium* audiamus, qui, *in Wasmuthum*, in quit, *fateor, acerbiorem me fuisse, quam soleo alias, & Sycophantae nomine illum tantum non semper mihi audire. Ast uero etsi cum non uno fuerit aduersario controuersia, nemo tamen eorum perpetuis adeo mendaciis petiit me, nemo haereseos, Papistici Syncretismi, & uiolati Diuini uerbi, impietatisque crimen pari impudentia mihi intentauit, nemo denique tam grauium multorumque errorum me postulauit. Vt debuerim proinde Wasmuthum non pari cum aliis leuitate excipere, cumpr. prae eunte exemplo suo, quamuis mansuetissimo, seruatore, qui samaritanum & Daemonium socium sese proclamantes iusta profecto excepit indignatione* (p. 73.) Quod autem ipsos controuersiarum cardines concernit, fatebitur mecum omnis intelligens, nondum satis a *Wasmutho* demonstratum esse, quod Presbyteris omnibus absque discrimine necessaria sit Ebraeae linguae peritia, quodque S. Ebraeus Codex noster omni ex parte sit integer atque diuinus; etiam qua uariis laborat lectionibus.

Apollo: Dixi autem, *Sarckmasi*, etiam de aliis, quos nimis acerbe exceperit *Conringius*, scire per-

uelim, quinam & isti sint. Fortasse *Wittebergenses* intelligis, iisque, uti scio te esse ingenio Politico, uunc faues. Ut ego quidem nolo arbitri partes mihi hic sumere, ita tamen non possum non fateri, me multos uiros bonos & Theologos praestantes audiuisse, non minorem *istis* imputare animi uehementiam, quam tu ad scribis *Conringio*. Vt Principum auctoritate pessimum istud rixandi cacoethes, quod tantopere Protestantium Theologos hactenus polluit atque corrumpit, tollatur, uniuersa Ecclesia gemebunda precatur. Vel lippis atque tonsoribus notae sunt atrocissimae, maximeque horrendae illae iniuriae, conuicia, & scommata, quae in se inuicem hactenus tam abominando ac detestando prorsus exemplo euomuerunt *Strauchius* atque *Calixtus*, uterque Lutheranus, uterque Theologus, uterque Diuinae prudentiae Professor; ut etiam plebeios homines, ea cum audiunt aut legunt, exspuere uideas. Deus illi sit propitius, qui primus tantum excitauit scandalum. Sua conscientia ipsi dictabit, quas aliquando Deo falli nescio iudici, tam bene scilicet collocati temporis, tam utilis in Ecclesia & Academia nauatae operae, tam probe defuncti sui muneris, & praeclari suis auditoribus praebiti exempli, rationes expositurus sit. Nonne, *Sarckmasi*, ipse hoc fateri habes necesse?

Sarckm. ut hodie mores sunt, plures utile, quam honestum, quaestuosa, quam sacra, spectant, cum certe non debeant spectare. Sed, ut iam antea dixi, cum amarus cibus sit ueritas, nefas est omnia, quae sentiam, loqui.

Merc. sed quae amplius de *Conringio* habes profe-

ferenda? *Sarckm.* Caeterum merito *summum rerum Germanicarum Doctorem audire eum sentio, & inter caetera ingenii argumenta luculentissima de origine iuris Germanici, & de finibus imperii opera toties miror, quoties lego.*

Labro: Quod laudaueris Conringium, non obnitor; nisi tamen inanis conatus sit, laudare eum, qui satis omnium literatorum confessione laudatus est. Maior est Conringius, quam ut eum assequatur uulgus, aut capiat Sarckmasius.

Sarckm. sic tu iudicas ex tuo ingenio, pessimo more, & fortassis, qui *plura me fama accepisse, quam legisse,* tibi habes persuasum; quam fallaris autem, facile tibi declarare possem, nisi mallem hacc in aliud tempus differre. Caeterum non credo, infensum mihi futurum *Conringium,* quod debita laude ipsum, quanquam ab aliis iamiam satis laudatum & ego affecerim.

Merc. antequam uideamus de reliquis, dic mihi, *Sarckmasi,* adhuc unicum, quid *de controuersia Conringii cum Tabore & Malcomesio habita* sentias.

Sarckm. Tabori, qui litem ipsi inutilem mouit, & magno, si Diis placet, eius Vindici ad Lanum, Malcomesio, meliorem omnino mentem precor. Huc enim lucis iam tum nostro seculo uentum est, ut doctos merito suppudeat ueterum illiusmodi naeniarum, &, si recte iudicio, ad loquaces mulierculas pertinentium, aut certe exquisitiori animo indignarum maxime.

Merc. Non inepte iudicas. Et miror, *Taborem,* uirum alios longe doctissimum & iuris Consul-

tis-

tissimum non dubitasse litem illam contra manifestam ueritatem mouere. Sed, ut fieri amat, saepe praeconcepta aliqua opinio, &, ut loquimur, interesse priuatum, uisum nostri intellectus ita obfuscat, ut claram ueritatis lucem intueri non ualeamus. Imprudentissime itaque & audacissime, amore forsan erga Ampliss. Dominum D. *Taborem*, (quem suum Euergetam laudat & praeceptorem, quemque ego etiam ipse ob egregia sua scripta iuridica summopere ueneror) nimio abreptus scripsisse nuper uidetur, IOH. HARTMANNVS RVNCKELIVS, IC. in Tract. suo Politico-Publico-Iuridico repraesentante principis uel Comitis uitam generosam eiusque statum felicem, & regimen salutare Giessae in 12. anno 1668. dum (p. III.) inquit: *Apage illiteratos ignaros, & imperitos rusticos ex arbitrio iudicantes, confuse omnia sine certa consuetudine, sine ordine & stylo, aut ulla lege ciuili, dirimentes. Quo pertinent Dd. Iuris G.* CONRINGIANI, *causas & controuersias Iuris Publici ex Iure Iustinianeo nullatenus definiri posse statuentes, quibus optime satis fecit adhuc nuperrime Dn. D. Malcomesius, amicus meus singularis in Actione L. Corn. contra sicarios Iurispr.* si uacaret nunc, facile esset ostendere, quod uerba haec fuerunt *Runckelii*, tot falsa in iisdem latere. Sed de illa controuersia differere, prolixius iam tempore prohibemur.

Apollo: Ita certe est, imprudenter admodum ea scripsit *Runckelius*, unde recte quoque inuehitur celeberrimus *Ziglerus*, Vir Iuris Consultissimus, in eos,

eos, qui Leges de causis priuatis in Iure Romano contentas ad quemuis Reipublicae statum, eiusque causas publicas, inepte ac imprudenter licet, applicare non dubitant, (In Praefat. Comment. ad Grotium) Dic *Labro*, quid porro de BOECLERO iudicet *Sarcmasius*?

Labro: Nondum audaciae modus est, perrexit in Boeclerum stringere calamum, ego uero in ipsum. Sed cum praecipue erga famigeratissimum hunc uirum effrenis fuerit *Sarckmasius* censendi licentia, optarem, ut ipse suam proferret censuram, ne falsus forsan tibi uideri possem, *Apollo.*

Apollo: Quid itaque uidetur tibi, *Sarckmasi* de summo illo Politico, *Boeclero*? Expone aperte.

Sarckmas. Non erubesco dicere, eius in Tacitum curas plus compositae orationis, quam spiritus, habere. Scribit praeterea saepe in rebus morum frigide, definit controuersias iuris naturalis & Gentium perplexe, decidit dubitanter. Vt uero dicendorum faciam compendium, Tu que eo melius, quid senserim, intelligas, en! hic exemplar ipsum meorum iudiciorum ad pedes reuerendi tui Numinis depono.

Apollo: Quantum itaque perspicio, ipse nihil certi habere uideris, cui de *Boeclero* insistas, ita tanquam Proteus aliquis frequentibus contradictionibus in uarias formas te transmutas. Modo enim *diuinam iudicii uim in magno illo uiro admiraris, eumque fama meritisque clarissimum & in seculi ac ipsius Germaniae gloriam natum* praedicas, mox *in rebus morum frigide scribere, definire controuersias*

sias Iuris Naturalis & Gentium perplexe, decidere dubitanter, censes. Quae conuenire inter se nemo sanae mentis affirmabit.

Labro: *Quidquid ad huius laudes obterendas profert, ex odio profectum deprehendo. Quae muniendae sententiae adfert, uerba sunt; praeterea nihil. Exemplum erroris Boecleriani si edidisset, uirumse ostendisset. Nunc cum horum nihil fecerit, helleboro indiget, non argumentis.*

Merc. aequum *Labro* postulat, dum specimina errorum *Boeclerianorum* edi desiderat.

Apollo: ita est, cumque praecipue, *Sarckmasi*, *Boecleri in Tacitum curas* suggillandas tibi elegeris (ubi male *Boecleri* modestia, dum, quod omnibus praetulerit *Forstnerum*, seipsum hoc inferiorem fateri necessario colligis, abuteris) eumque *Forstnero longe posthabendum*, non affirmaturum te solum, sed etiam propugnaturum esse, arrogantissime & procacissime scripseris; ut hoc praestes propediem, cupio, tunc uidebimus, ubi prudentia *Boeclerum* destituerit, & quã benetu de ipso iudicaueris. Quod ni praestaueris, falsa credentur ab omnibus, quae uenditasti pro ueris. Certe si non par, proximus a *Forstnero* erit *Boeclerus* Impr. autem a comparatiuo illo inter uiros tantos censendi genere tibi debuisses cauere, ne superbissimi Aristarchi & iudicis uices iniquissime inuolare uisus esses, quo tuo conatu in me ipsum fuisti iniurius. Sit ita, quod tamen nondum concedere opus est, *non impleuisse Boeclerum Forstnerianam mensuram*, at cogitare debebas, honestum esse, ut Cicero dicit, prima sequentem in secundis tertiisque subsistere, nec

so-

solum *Aristotelem* Philosophum, nec solum *Ciceronem* aut *Demosthenem* oratorem, nec solum *Virgilium* Poetam fuisse, quamuis κατ' ἐξοχὴν ipsis ea nomina credantur competere. Quapropter melius tuae existimationi consuluisses, si maiorem modestiam in exprobrando tanto huic uiro, quod inter *Taciti* commentatores non primus sit, adhibere studuisses. Quod porro, ut uideo, obiicis: *ius homines proprios faciendi adeo male ipsum defendisse, ut iam, quanquam sero, mallet, se ea defensione abstinuisse, quippe qua & politicorum & repurgatae religioni addictorum offensam conflauerit longe maximam*; nae certe grandem summo illi uiro facis iniuriam. Iniquus enim es, quod aliorum relationi, quae tamen saepiuscule falsa, confidens adeo male defendisse *Boeclerum* dicis, ut se abstinuisse ea defensione mallet. Nec uerum credo, tantam ipsum sibi conflasse inuidiam, quod ad ueritatem arduae illius controuersiae eruendam *Wildfangiatus* iura aliquantum accuratius examinare uoluerit. Denique commmentationem *ipsius Grotianam* quod attinet, cum non reperire potueris in ea, quod reprehendas, iterum ad comparatiuum tuum confugis & *Ziglerum* (causam noui) *cum neruosa scribendi breuitate, tum insigni & prope admirabili diuinarum humanarumque rerum notitia omnes in Grotium annotatores, & ipsum, si libere loqui placeat, Boeclerum facile antecellere dicis.* Ego maiorem adhibuisse diligentiam Ziglerum in examinandis & perstringendis erroribus Grotii aduersus orthodoxiam fidei, quam quemuis alium, haud difficulter concedo

cedo. Egregie tamen ſimili ſtudio priori anno defunctum eſſe uidi celeberrimum in Lipſienſi Academia Profeſſorem, Dn. VALENTINVM ALBERTI (a cuius eximio magni ingenii acumine & incomparabili fere modeſtia praeclara quaeque tum Theologica, tum alia ſpecimina expectanda ſunt) in lectione ſua, ut uocant, Curſoria, cum Theologiae Licentiatus eſſet creandus. Superet licet *Ziglerus Boeclerum* etiam *perſpicuitate*, quia loca difficiliora clarioribus tantum uerbis ſubinde exprimere ſtuduit; Quin tamen contra *Boeclerus Ziglerum* ſuperet *accuratiori* & *pleniori deductione* illorum, quae *Grotius* paucis annotata nondum ſatis elimauerat, uel ipſum *Ziglerum*, quippe qui hunc finem ſibi non propoſuerat, non negaturum eſſe, mihi habeo perſuaſum. Quae diuerſitas utriúſque inſtituti ex praefationibus amborum clariſſime patebit. Vlteriorem autem inter Ampliſſimos iſtos uiros inaequalitatis ſeu diſparitatis comparationem inſtitui ipſi repudiabunt, ſcio. *Labro : Quod commendauerit Zieglerum, non miror, quippe quem non poterat uituperare. Neque tamen hic ita deſiderat laudari, ut alii reprehendantur. Nam ſi quiſquam praeter ſummam doctrinam modeſtus eſt, certe Zieglerus eſt.*

Merc: Vera dicis, & ſaepe ipſe modeſtiam tanti huius uiri admiratus ſum, quod, cum tam praeclara, &, ut *Sarckmaſius* dixit, admirabili diuinarum humanarumque rerum notitia inſtructus ſit, ab inutilibus tamen iurgiorum, iniuriarum ac conuiciorum contentionibus laudabiliter abſtinere maluerit. Certe

te apud multos uiros magnos non minoris aestimari ipsius modestiam, quam eruditionem noui.

Apollo: Tandem & id mihi displicet maxime, quod dicis, retulisse tibi familiares ipsius, *magis eum ex commentariis, quam ex ingenio sapere; praesentia quoque laudes & famam longo tempore collectam plus semel minuisse.* Quod, ut bene iudicauit *Verasius*, aut a te ipso, aut ab illis pessimis suis familiaribus, odio erga *Boeclerum* confictum esse uidetur, cum contrarium non semel ab ipsius amicis mihi sit traditum. Et subsit licet, quod tamen minime credo, aliquid ueri istis relatis, audacis tamen atque ingrati notas minime effugies, uel tui ipsius iudicio, dum tam temere, tam immodeste ac imprudenter irritare ipsius patientiam laudesque minuere non ueritus es.

Sarckmas. At eo ipso posteris *documento erit, summos quoque uiros nil humani a se alienum putare debere.*

Apollo: At eo ipso doceri tu poteras, cum in summis quoque uiris aliquando naeui quidam reperiantur, neminem extra omnem labem esse positum, adeoque probi esse animi eosdem potius contegere, si qui sunt, quam more *Chami* illius nudos atque detectos omnibus commonstrare digito. Nec dubito, quin Te his rebus immiscuisse aliquando poeniturum sit, cum hoc facto ob petulantem tuam immodestiam summorum quorumcunque uirorum offensam tibi conflaueris maximam. Certe ob peculiares nonnullas rationes, quas nosti, melius de Te *Boeclerum* uel inprimis meritum esse existimo, quam ut inique

& acerbe adeo a Te exciperetur. Sed de caeteris etiam dispiciendum est. Pergo itaq; ad *Monzambanum*, cui proximum a *Boeclero* attribuisti locum. Huic quantum uideo, exprobras primo, *quod potissima & quae praecipuã laudem mereantur, ex fontibus* Conringianis deriuata in suas areolas, alioqui steriles futuras maxime, receperit, sed quid causae tibi fuerit, non intelligo. Siquidem nec imprudenter hoc fecit *Monzambanus*, nec subdole. Ingenue enim ipse in Praefat. fatetur, se multa debere *Conringio*; quae cum prudenter in succum ac sanguinem, quod dicitur, conuertere statuerit, laudi potius, quam uitio, ipsi debet uerti, quod in multis summum, ut ipse, & uere quidem, uocasti, rerum Germanicarum Doctorem sequi constituerit. Quod secundo eorum, *quae exprobrauit Saxonibus, abstrusas esse rationes causaris*, quas *Monzambanus* intelligere aut noluerit, aut non potuerit, id sicco pede praetereo. Nec enim fas est Musarum filiis in abstrusas magnorum Principum rationes curiose nimis inquirere. indulsisse autem *Monzambanum* aliquid affectibus, negari equidem non potest, satisque bene illud ostendit Auctor Exercitationum Exercit. 1. *sq.*

Labro: *Credo Pufendorfium, seu Monzambanum, si impetum Neptuni sustinuisset, tantae molis censorium opus facile destructurum fuisse.*

Apollo: Porro, quod admodum ieiune, ut tibi uidetur, *deciderit illam de forma Imperii controuersiam*, non credo statim temerarii consilii fructum aut praecipitati iudicii exitum esse dicendum, quin potius existimo, ipsam hanc materiam proposuisse

non-

nondum satis uentilatam & confirmatam, ut alii accuratius eam examinandi, formamque Imperii enixius perquirendi ansam inde arriperent. Prout etiam factum esse nouimus. Quanquam in eo tibi, *Sarckmasi*, non repugno, infeliciter excitari nimis frequentes hodie illas de potestate Imperatoris & Principum in Germania disceptationes, quae rectius & prudentius ipsis Principibus relinquendae, quam a priuatis hominibus in Schola & Scriptis Publice editis instituendae, Principibus ut plurimum ingratis, uidentur. Certe, ut ut nimia atque effrenis scriptorum in hac materia tractanda quodammodo coërceatur audacia, Principum ipsorum & Imperatoris interest. Siquidem tot ferme de forma Imperii, pessimo more atque euentu, audias hodie sententias, quot uideas capita eorum, qui Politicam sibi arrogant prudentiam.

Merc. Sed annon de Commentatoribus *Monzambani* aliqua addidit?

Apollo: Video factum, & primo quidem occurrit mihi *Schoockius*. Cui *Sarckmasius* credit morbum (qui ipsi fuit ultimus) impedimento fuisse, quo minus, ut in caeteris suis uarii generis atque doctrinae scriptis, omnia satis accurate trutinauerit.

Labro: Schoockium, qui, dum uiueret, Augusto Germaniae Achilli, FRIDERICO WILHELMO *El. carissimus fuit, & uel solis ad Clapmarium notis iam diu aeternitati se consecrauit, aut laude afficiat, hortor, aut reprehensione in posterum abstineat. Sed enimuero facile est mortuo leoni insultare. Quanquam mors uitam huic abstulit, non famam.*

Apollo: Recte quidem admones, *Labro*, at frustra. Neque enim *Sarckmasius* ita reprehendit *Schoockium*, ut tua defensione ipsius fama indigere hic possit, cum & ipse ob imbecillitatem ingenii morbo contractam a doctioribus excusandum eum esse fateatur. Caeterum, quamuis exercitationes *Schoockii* accuratiorem alicubi curam requirere non diffitendum sit, studium tamen ipsius in iisdem nauatum, quod non omni ex parte perfectum fuerit, debita defraudari laude nolo, siquidem perfectio omnimoda supra humanitatis uires est posita. Iam quod attinet *Eleutheropolitanum*, si uere iudicare debeo, fateor, non multum ipsius Notas Lectorem iuuare, nec ipsum cum *Monzambano* in comparationem gloriae referri posse, nec natiuo prudentiae cultu, ut loqueris, abundare. Cogitare interim debuisses, quod *Seneca* dicit, multa donanda ingeniis, nec sum, inquit, ex iudicibus seuerissimis, qui omnia ad exactam regulam redigam. Sed progrediamur. In Ph. A. BVRGOLDENSI quae laudas, & ipse approbo, quae autem uituperas, atque in ipso desideras, improbo ex parte. Quamuis enim *aliquantum festinasse Burgoldensem*, adeoque *iudicia Auctorum, quos allegauit, non semper cepisse, nec stylum sua perpetuo gaudere forma*, (nisi excusare hoc ἁμάρτημα possit, quod in allegandis tam diuersorum Auctorum uerbis ac formulis impossibile fere fiat, ut aequalitas styli seruetur continua) *& res ipsas aliquando sine delectu & cura congessisse*, concedam, tamen, quod expilet omnia ac compilet, carpat atque decerpat, ut inuidiosissime loqueris, tan-

tum

tum abeſt, ut tecum reprehendam ut potius tanquam laudabile neceſſariae induſtriae teſtimonium commendem. Et quos quaeſo alios porro, niſi praeſtantiſſimos illos Iuris noſtri Publici Scriptores, *Limnaeum. Conringium, de Monzambano, Hornium, &c.* ſequi debebat? *Origines Iuris Germanici* ex riuulis magis, quam ex fontibus, ipſum deduxiſſe, uti aliquando factum, non nego : ita nunquam concedā in deriuandis aquae ductibus ſemper ad diſſitos fontes magno cum labore atque ſudore pertendere neceſſum eſſe, cum faciliori ac compendioſiori uia non raro ex propioribus riuulis ſua amoenitate ac ſalubritate ſaepe fontes aequantibus imo ſuperantibus eos deriuare poſſis feliciciſſime. Ad ſumma niti, ita enim interpretabimur modeſte, quod tu *ambitum* odioſo uocabulo appellas, *cuius fama longe lateque percrebuerit*, quo minus exprobrares ipſi, uel tuo ipſius animo debebas moneri. Nam generoſi pectoris prudentes ſemper iudicarunt indicium, generoſos de ſuo talento bene exponendo curas fouere, nec illorum ſequi iudicium, qui deſperatione debilitati experiri id nolunt, quod ſe aſſequi poſſe diffidunt.

Labro: Acerbe profecto *de Burgoldenſi literatisſimo & laborioſisſimo pariter uiro iudicauit. cum iudicare aequius debuiſſet.*

Merc. Ita & ipſe ſentio, ac inprimis uellem, *Sarckmaſi*, Te abſtinuiſſe a conuiciis atque ſcommatis in perſonas, quibus uti tibi libuit, cum quosdam πολυπραγμοσύνης, alium *imprudentiae*, alium *ambitus* accuſare non ueritus es. Ipſe, precor, per-

pendeapud animum paulo attentius, quanta non istorum tantum Virorum summorum, quos tam acerbe perstringere ausus es , sed aliorum etiam passim, qui ista tua legunt, odia temere tibi conflaueris.

Apollo: Ego suam Sarckmasio nostro laudem minime inuiderem, quippe qui tam polite scripsit, quam pulchre subinde iudicauit, si a scribenda Satyra abstinuisset, & scripta potius, quam uitas, tam doctorum uirorum examinare maluisset. Sed nunc in ipsum quadrant, quae de *Burgoldensi* dicit, quod praebuerit *exemplum hominis ultra sortem audacis, & non modo nimis libere, sed etiam saepissime minus recte de rebus iudicantis. Nescio magis intempestiuam scribendi libertatem , an dictatoriam quandam animaduersionem prodere posteris uoluerit.* Sed de his plura postea , cum caetera quoque iudicia lustrauerimus. Sistit se nobis iam quintus, ordine *Sarckmasiano,* ciuilis prudentiae scriptor. CYRIACVS LENTVLVS, cuius laudes in frontispicio censurae offendo eximias.

Labro: Lentulum ita laudat, ut laude potuerit abstinere. Nam non multo post ita in grauissimum inuehitur uirum, *ut indicta uelim, quae iusto dicit acerbius.*

Apollo: Ita uideo, Vt uero prolixitatem euitemus, cum omnia, quae laudas, *Sarckmasi* , approbanda nobis uideantur, alboque notanda lapillo, dispiciemus solummodo de iis , quae hinc inde reprehen-

hendere satagis. *In Lentulo* igitur, ut cerno, primo *experientiam* desideras, & propterea ipsius in *Tacitum* curas iterum *Forstnerianis* longe inferiores esse iudicas. Miror autem, quod, cum tu ipse (α) eum acri pollere iudicio, (β) ipsi nihil deesse ad orationis cultum, (γ) plura fortassis legisse dicas, quam alium quenquam, *nec* (δ) *omnem* experientiam ipsi detrahas; non debitam potius laudem eruditissimo isti in *Tacitum* commentatori tribuere malueris, quam comparando cum Foerstnero (quem quasi cynosuram tibi elegisse uideris, secundum quam omnes aliorum in *Tacitum* curas aestimare necesse sit, cum tamen & se, tanquam hominem, non nunquam humani quid passum esse, credo, nec ipse B. *Forstnerius* negaturus esset, si uiueret,) eam surripere. Et an, quaeso, nescis, uirum multae lectionis, & paucae experientiae praeualere interdum uiro multae quidem experientiae, at paucae lectionis. Quod noto, non, quasi alterutro caruisse *Forstnerum* existimem, quod ineptum foret statuere, sed tantum, ut adeo magnam experientiam Prudentiae Ciuilis Scriptori non absolute esse necessariam demonstrem. Velut ipse mox agnoscere coactus es, dum *Lentulum* in suo *Taciti* commentario *conuenientissime iudicasse* affirmas, etsi experiendo *Forstnerus* ipso fuerit felicior. Deinceps in eodem cognitionem *maiorem Iuris Germanici requiris*. Sed unde nosti tu, illam ipsi deesse? Forsan enim studio parcior fuit in iis exponendis ubertim, quae iam ab aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus cumulate tradita sciebat. Adeoque, quod *Lentulus* obseruauit

uit monente prudentia, id tu peruerse ipsius inscitiae ac ignorantiae adscribis. Progrederis III. ad *Opus ipsius de iure P. & B.* idque infra magnitudinem *Grotiani* iudicii esse censes, Quantus equidem Vir fuerit *Grotius*, neminem literatorum potest latere, cum omnes, summi etiam Viri, incomparabilem ipsum iudicent, & propterea nec Cl. *Lentulum* refragaturum esse persuasus sum; At cedat licet *Lentulus Grotio* in dicta materia tractanda subtilitatis ingeniosae acumine, credo tamen, *Grotium* cedere oportere *Lentulo* uicissim, siue sententiarum ueritatem spectare uelis, (quantis enim heterodoxiis scateat *Grotii* opus, uiros Theosophos iamdudum annotasse, supra ex parte indicaui) siue sensus exprimendi felicitatem, seu, si mauis, expressi perspicuitatē. Subinde namq; *Grotius* illud σκότησος, σκότησον obseruasse deprehenditur, tunc quoq; quando procul dubio aptioribus & clarioribus uerbis mentem suam potuisset exprimere. Miror porro Te *Elegantiam styli* IV. requirere in eo, cui non quidquam ad orationis cultum deesse modo dicebas. Implicite autem contradictoria cum sint, *non quidquam alicui deesse ad orationis cultum, & saepe ex sordibus, asciti sermonis aliquid aspergere* nec linguarum semper ingenium recte satis discernere posse, adeoque alterutrum falsum esse necesse sit, malo ego prius, quam posterius pronunciare uerum. V. quod attinet *Apicem Gloriae Romanae*, quatuor uideo a Te in medium productas esse rationes, quibus non conuenire eum gloriae literariae fastigio probare contendis, ob defectus scilicet (1.) ordinis (2.) curae (3.) elegantiae (4.) co-

cognitionis iuris Germanici. At enim uero, cum acri *Lentulum* pollere ſcripſeris iudicio, credo non defuiſſe ipſi cauſam, ob quam *ordinem* iſtum, quem ſecutus eſt, elegerit. *Curam* deſiderare nequis, cum, induſtriam Te non poſſe deprehendere, ipſe ſis faſſus. Nec certe diffiteri id poteras abſque ſumma in uirum hunc laborioſiſſimum atque doctiſſimum iniuria, cum tam illuſtri documento, quale eſt Apex iſte Gloriae Romanae, in quo ab V. C. ad noſtra uſque tempora ſtatum Rei Romanae explicauit elegantiſſime, ſuam ſolertiam uiris doctis abunde probauerit. Quod uocabula aliquando praeter morem Latinorum uſurpata eſſe obiicis, ea uix uſquam, certe non niſi pauciſſimis in locis, poterunt adſcribi *Lentulo*, ſi quidem pleraque non *Lentuli* ſunt, ſed Auctorum quorundam ſequioris aeui, quos allegare opus habuit. Ea autem ob nitorem & elegantiam linguae ſectandi ſtudium immutare, merito religioni fuit *Lentulo*. De cognitione denique iuris Germanici dixi iam antea. Nec tu illos protuliſti errores, quibus imperitiam illius iuris in ipſo monſtraſſes. Quin autem in tam amplo ratione materiae & molis opere aliquis non nunquam naeuus occurrat, non refragabor; melius nihilo minus, *Sarckmaſi* feciſſes, ſi eos aut examinandos annotaſſes, aut ab atro calculo in cenſendo *Lentulo* abſtinere uoluiſſes. In reliquis, quae profers, *Lentulum* ſuperari ab aliis, non poteſt opprobrio cedere ipſi, quandoquidem ultra humanae naturae conditionem eſt, ita in omnibus excellere, ut neminem inuenias parem, aut ſuperiorem etiam. Vltimum, quod *Lentulo* obiicis, peccatum ἡ πολυ-

πραγμοσύνη est; at quam imprudenter id facias, ut cognoscas, quaeso te ipsum respice. Aut enim uariarum istarum scientiarum, quae in Lentuli scriptis comprehenduntur, es gnarus, aut ignarus. Si prius est uerum, eodem iure, quo tibi licet, licebit quoque *Lentulo*, uariarum doctrinarum generibus sedulam nauare operam: sin posterius; temerarius es maxime, qui comparatiuam censuram instituere ausus es eorum, quae non intelligis.

Sarckmas. sed tua uenia, *Apollo*, uerbum interfari liceat. *Habent Politici, quod agant, Theologis sua relinquant, & existimationi in posterum melius, atque hactenus factum est, consulant.*

Merc.: At multa de his, quae profers, essent dicenda, facilique ostendi posset negotio, quomodo subinde necesse fiat, ut Politici sese immisceant rebus, quas sibi solis, nescio quo iure, proprias uindicant Theologi; Sed, cum ueritas pariat odium, silentii peplo iam ea inuoluere malo.

Apollo: Nec etiam de Theologicis rebus hic agimus, sed de politicis. Quapropter nolo prolixiorem disputationem de illis hac uice institui. Videbimus, quid porro statuat de RACHELIO.

Sarckm. facile de huius ingenio cognoscet, qui commentarium in officia Cicer. Nuper editum paulo intentius lustrabit.

Apollo: Variis equidem modis Te iniquissimo indoctissimum hunc uirum esse animo prodis. Et primo, dum *ad nauseam tibi laudatum esse dicis Boeclerum*, non in *Rachelium* tantum, sed in ipsum etiam *Boeclerum*, iniurius es. Siquidem tanta huius

uiri

uiri in Rempublicam literariam ſunt merita, ut nunquam uix ſatis poſſint laudibus expleri. Fruſtra es autem, dum haec a te dici, non quod hunc non cenſeas laude dignum, ſed quia tam amplum iuris Gentium ambitum in arctum unius cerebrum cogere, & auctoritate potius, quam ratione, niti tibi uelle uidetur *Rachelius*, cauſaris. Nondum enim, unde id firmiter poſſis colligere, quod *Rachelius* amplum iuris ambitum in arctum (ut loqueris) unius *Boeclri* cerebrum coëgerit. Nec etenim ſolum Rachelius in iſto ſuo ſcripto laudàt *Boeclerum*, ſed quam plurimos etiam tum antiquos, tum recentiores ac recentiſſimos alios; *Hug. Grotium in Praefat.* ad Lect. uocat uirum ſummum; *Eraſm. Roterodamum*, uirum maximi iudicii, *ibid* & incomparabilem, *in Programm. Coraſium* celebrem ICtum Tholoſanum appellat, in *Proleg. Io. Frid. Hornium*, Virum Cl. §. 15 *ibid. Calixtum* ſupra inuidiam poſitum. *Iac. Thomaſium* Acad. Lipſ. Prof. Virum Cl. ſibique amiciſſimum, §. 27. *Busbequium* uirum longe prudentiſſimum; p. 250. *Conringium* Cl. p. 254. *Iulium Pacium* magnum & Philoſophum & ICtum, p. 304. *Ioh. Sichardum*, ICtum imprimis bonum p. 388. *Voſſium* maxima induſtria & eruditione celebrem, ut caeteros taceam: Nec imoderate laudat, dum ipſum Germaniae & noſtri ſeculi ornamentum eximium praedicat, cum tu ipſe hanc laudem *Boelero* tribueris. Aut imprudentem itaque & inuidum, aut falſum aut ſubdolum, Te eſſe oportet, dum ea *Rachelio* obiicis, quae ipſe non dubitaſti ſcribere. Fere cogor coniicere, te parum accurate perluſtraſſe Rachelii in Offi-

cia

cia Cic. Commentarium, quia uel per transſennam, ut dicitur, ſaltem inſpicienti, quam laudabili conatu in omnibus ueteres illos prudentiae ciuilis antiſtites, *Platonem* & *Ariſtotelem*, & qui cum iis conferri meretur, *Grotium*, *Alexandrum* item, reliquosque *Platonis* & *Ariſtotelis* Interpretes quosque praeſtantiſſimos ſecutus fuerit, patet. Quapropter optarem, apertius mentem tuam expoſuiſſes de ducibus illis, quos partim parum fidos, partim plene mutos aut coecos dicis, ſecutum eſſe *Rachelium*. Me certe, licet cura in *Rachelio* quaeſiuerim, eos non potuiſſe inuenire, fateor lubens. De animaduerſionibus autem ipſius in *Grotium*, quas propediem edere promiſit, quod tam friuole iudicas, nae certe temerarium eſt, uel te ipſo iudice, dum mox ſatius putas, & recte quidem, de iis, quae non uidiſti, iudicium ſuſpendi.

Merc.: Memini autem, me apud *Rachelium* legiſſe, quod *Ciceronem Tacito* longiſſime anteponendum ducat, ſcire aueo, quid tu ſentias, *Sarckmaſi*?

Sarck. quod Ciceronem Tacito longiſſime anteponat, & infirmi iudicii & parum uerſati in Tacito hominis argumentum eſt.

Apollo: omnino ipſa *Rachelii* uerba hic inſpicienda ſunt, ut uidere poſſimus, quid ſtatuendum ſit; recita itaque illa Mercuri.

Merc. Rachelii in Progr. Inuit. ad ſtudioſos Kilonienſes uerba ſunt iſta; *Vix uideas, inquit, hodie ullum Principe & uiro ciuili dignum ſcriptorem haberi, praeterquam Tacitum, cuius tamen*

men lectio plus fere detrimenti, quam emolumenti, illorum animis insinuare soles. Est enim ille campus floribus speciosis refertissimus, ex quibus uti apibus mel, ita araneis uenenum delibare datur pestilentissimum. Qua enim in re, quaeso Politicam suam prudentiam & admirabile acumen consumsit, nisi in artibus tyrannicis ac praestigiis aulicis subtiliter depingendis? Qualem igitur laudem mereatur histrio, qui decenter exhibet lenonis, Thaidis, Cantharae, Daui personam; ita quoque scitissime nobis Tacitus describit Tiberii obscurum pectus ambiguam linguam, huius & aliorum monstrosas uoluptates, & infanda crudelitatis exempla; Agrippinae astutiam, Messalinae portentosas libidines, Seiani impotentem potentiam, tot reorum Maiestatis per calumniam delatorum supplicia, eiusque generis alia non profutura profecto, nisi ei, qui uere fuerit prudens & bonus. Quae uirtus, constantia & integritas animi, cum in maxima fortuna sit rarissima, non dubitem paucas Ciceroniani uoluminis, de quo loquimur, paginas toti Taciti historiae anteponere, & magnatum animos uia plana tutaque quam salebrosa & a latronibus obsessa, ad ueram prudentiam ducere.

A-

Apollo: quod igitur tuum, *Mercuri*, de his *Rachelii* dictis est iudicium?

Merc. quod uix ullum hodie Principe & uiro ciuili dignum scriptorem haberi *Rachelius* dicit, praeterquam *Ciceronem* & *Tacitum*, in eo paucos, opinor, adstipulantes habebit? ut enim nunc praeteream ueteres scriptores Ciuiles Graecorum, quantum praeter *Tacitum* Principi aut Viro ciuili conferre possit ex Latinis lectio *Liuii*, *Suetonii*, *Trogi Pompeii*, cuius Iustiniana Epitome illustribus exemplis pariter & praeceptis abundat, teste Magno *Conringio* de Ciu. Prud. p. 330.) *Iulii Caesaris*, *Curtii*, *&c*, qui istis prudentia neutiquam inferior, *Ammiani Marcellini*, pacis bellique negotiorum, eorum praesertim, quae in regnis solent uenire usu, praestantis narratoris, docent abunde *Conringius* l. c. *Bodinus* (*in method. Histor*.) *Lipsius*, aliique passim. Nec insigni utilitatis fructu carebit, recentiorum etiam temporum nonnullos historicos, *Cominaeum*, *Bellaium*, *Guicciardinum*, *Sleidanum*, *Thuanum &c.* solerti cura legisse. Quod autem nihilominus *Tacitus* istis praeferatur omnibus, caussa est, quod nullibi *tantum* iudicium Politicum tamque accuratam tractandi rationem inuenias (*Conring*. *l. c.*) quodque non sit in Graecis aut Latinis, & fidenter dicam, non fuerit, qui prudentiae omnigenae laude huic se compareт; adeo non ueremur, ne quis anteponat. Id autem omnino falsum est, *plus fere detrimenti illius lectionem, quam emolumenti, animis insinuare lectorum*, Nam (ut uir quidam in politiore litera-

ra-

ratura grauiſſimus deque Tacito optime meritus, *apud Boecler. Orat.* 14. loquitur) ſingulae paginae, quid paginae? ſingulae lineae dogmata, conſilia, monita ſunt; ſed breuia ſaepe aut occulta, & opus quadam ſagace mente ad adorandum, & adſequendum. Sicut non omnes canes feram; non item lectores uirtutes huius doteſque aut indagant, aut captant. *Viris opus eſt*, & cum ingenii quadam ſubtilitate, iudicii rectitudine; &, ut uerbo dicam, *naturae bonitate.* Qui eam non habet, tutius, ipſe fateor, lectione *Taciti* abſtinebit, & ad infringendum contrariam *Rachelii* ſententiam apprime facit ſimile adductum, quo tanquam ſuo gladio ſe iugulat ipſe. Vt enim neutiquam dici poteſt, ex amoenis ac ſpecioſis, ut loquitur, campi floribus plus detrimenti, quam emolumenti percipi, quod araneae peſtilentiſſimum inde uenenum delibent; ita nec *Tacito* uergere poteſt noxae aut opprobrio, quod quidam ipſius abutantur exemplis, dum ſequuntur, quae debebant fugere; laudant, quae deteſtanda; approbant, quae reiicienda erant. Ipſa S. ſcriptura, licet ſanctisſimi ſpiritus impulſu a Prophetis & Apoſtolis literarum monumentis conſignata ipſisſimum Dei uerbum, ueramque illam uitae arborem comprehendat; pesſime tamen prauos haereticos abuti ſubinde uideas. Vt uero contra flores non tantum apibus ſaluberrimum ad progignendum mel ſuauisſimum humaniſque uſibus commodiſſimum, praebent cibum; ſed inſignem etiam utilitatem in ipſis noſtrorum corporum morbis curandis; Ita *Taciti* quoque lectio utilisſi-

lissimeFontes imperandi regnandique multitudinem detegit, consilia ad conseruandam salutem, & auerruncandam debilitatem,Reipublicæ etiam in futurum praecepta suppeditat, descriptionesque personarum accuratissimas tradit; ex quarum una plurium saepe rerum momenta petantur, quam ex integro praeceptionum libello, quod autem politicam suam prudentiam: (ceu *Rachelius* dicit) in nulla re alia consumserit, nisi in artibus tyrannicis ac praestigiis aulicis: subtiliter depingendis; noui quidem, ipsum quoque magnum *Conringium* nolle, ut *Tacitum* cereae indolis & ad populi salutem instituendus Princeps legat, cum (ut ait) parum absit a scelera dominatus docente, cum *Caios*, & *Claudios*, & *Nerones*, portenta tyrannica nobis narrat, nec multo meliores *Galbas*, *Ottones*, *Vitellios*; *Vespasiani* autem & *Titi* portenta delibat, praeter illa Tyrannico statui familiaria; Id tamen superest inter *Conringii* atque *Rachelii* iudicium discriminis, quod ille tantum contendat, non esse ferendos, qui *unum Tacitum* omnis prudentiae fontem aestimant, immo *unum hunc omnibus in uniuersum* principibus, & in principatu uiuentibus, unde uitae praecepta illi hauriant, solent commendare, quorum sententiam & ipse modo reieci; hic uero ipsum plane contemnat ac respuat. Ast immerito sane. Quemadmodum enim iis, qui in foro utiliter uersari cupiunt, Aduocatorum dolos atque praestigias accurate scire necesse est, ita quoque aulam sequens exactissime calleat obscura ibi uiuentium pectora, ambiguas linguas, astutias, dolos ac fraudes, quae omnia non aliunde melius, quam ex

Ta-

Tacito, perdiscet, cuius fere solius perspicaciae debemus, deprensas passim artes dominationis ac fraudes & occulta aulae, quae egregie in apricum producit. Nec tamen his unis immoratur *Tacitus*, sed, ut iam dixi, ingeniorum quoque, temporumque sapientiam, & interiora principatuum, successusque & fata rerum praeclare conquirit atque pertractat, adeoque, ut non tantum a principum ministris ac Consiliariis, sed ab ipsis etiam principibus, sedulo legatur, dignissimus est, nec tamen, dum adhuc cereae sunt indolis, verum postquam ipsorum animi diuinis honestatis ac pietatis praeceptis bene sunt confiti atque subacti. Nec refragor *Rachelio*, quod summo cum fructu Ciceronis officia Principi legenda commendet, ita etiam, ut praeferantur *Tacito*, sit non quoad Politicam, sed Ethicam, prudentiam discendam, in cuius regulis atque praeceptis tradendis procul dubio *Ciceronem Tacito* praeripere palmam fatendum est, quemadmodum contra quoad regendi & imperandi doctrinam, longe praestantior *Cicerone* est *Tacitus*, cuius nec sublimius quidquam iudicio aut rectius nec eloquentia grauius, nec ubertate fertilius, tota Gentilium habet eruditio. (*Boecler. l. c.*) adeo non historiae tantum dignitatem perfecit, sed mensuram omnis ferme sapientiae, quae hominibus licet, expleuit! Et his, quae dixi, ipsum *Apollinem* credo praebiturum esse assensum.

Apollo: Non uane credis, *Mercuri*, siquidem nil, quod in tuo iudicio reprehendam, inuenio. Progrediamur autem ulterius. Offendo nunc in ordine proximum, NICOLAVM MARTINI De mutuis adminiculis in pertractanda cum *Auberio* de Iu-

re Regis Galliarum in Romanum Imperium contro, uersia, quae tu, Sarckmasi, ipsum habuisse dicis, parum attinet disquirere. Quamuis enim *Kippingium glaciem iam fregisse* dicas, *quo minori periculo tam arduum iter susciperet*; forsan tamen ipse, cum *magis*, Te non diffitente, *ualeat ingenio, quam Kippingius*, etiam nullius alienis uiribus adiutus obstacula istius remouere potuisset itineris. Recte autem iudicas, cum dicis, *ipsum spondere uirum, si nondum sit*, (quamuis ego iam esse eum existimem) *& praeferre, si uixerit, Politicum haud uulgare, & iudicio uel ipsius doctissimi* THOMASII, (cuius Viri excellentissimum ingenium me toties oblectat, quoties recordor, recordor autem tantum non perpetuo,) *perquam aestimandum*.

Labro: Ast *Thomasii, quod allegat, iudicium ille se negat tulisse, imo eius ne meminisse quidem potest. Audiui tamen illius famae ipsi non deesse autorem.*

Mercur. Inepte, dum *Thomasium* illius famae non deesse fateris auctorem, quid aliud, quaeso, dicis, quam quod *Thomasius* Martinum plurimi aestimet. Nemo enim auctor erit famae illius, quem contemnit, aut cuius non habet notitiam. Quidquid autem huius sit, siue tulerit, siue non tulerit, *Thomasius* istud de Martino iudicium, nihil id laudibus huius officit, nec opus fuit, ut tu tantopere de illo iudicio esses solicitus.

Labro: Vtcunque sit, iusto forte celerius credidit, iusto certe festinantius credita in scripturam redegit.

Merc.

Merc. Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Nam quomodo tu credulitatem exprobrare potes *Sarckmasio*, cum ipse, quae dixti, non diffitearis accepisse rumore, ceu tuo *audiui*, *& utcunque sit*, satis superque prodidisti. Verum praestat audire *Apollinem* de reliquis, quam tecum altercari diutius.

Apollo: *Stylum* quod *moderate* quidem *cultum* scribis, *sed te subinde mirari, cur ductu atque auspiciis, Boecleri non multum ultra uulgarem eloquentiae mensuram profecerit*, nolo quidem interpretari, quae de *Boeclero* iterum immisces, sinisterius, sed concedam, te sequentibus uerbis satis declarare, quod, ut debes, culpa uacuum aestimes *Boeclerum*, miror tamen te ita praecipiti usum esse judicio, ut ex solo illo *Martini* scripto de uniuersa illius dicendi potentia sententiam ferre non erubueris, cum tamen studio ac prudenter *Martinus* ibi stylum accommodarit rationi subiectam materiam tractandi, & proinde, ut ipse profitetur (in Praefat. ad Lect.) *pigmentis ac lenociniis uerborum tam bonam ac iustam causam ornare nefas omnium crediderit, nec eiusmodi fucos aut ornamenta Rhetorica Philosophicam controuertendi rationem admittere putauerit.* Adeoque recte gratulari sibi, ut ad mones, *poterit noster, quod aliam, ut debuit, institit uiam, quam uulgus; nec ea, in quibus studiorum uertitur salus, prae coeca quadam ambitione neglexit.* Quod *iudicium* porro & *argumentorum*, quae in medium produxit, *robur* commendas; bene facis, & probe hic suo se defunctum esse instituto ipse *Martinus* confidit, cum *rationibus*, *quantum ar-*

gumentum conditio permisit, se usum fuisse dicit non uerosimilibus, aut ex huius illiusue coniectura depromptis; sed stringentibus & uere conuincentibus.

Vltimo, quod salse ac lepide ipsius *studium ostentandi linguae Gallicae* peritiam, dum singulis fere paginis Gallica inseruit, perstringis, Chacientismum istum non reprehendo, sed ipse quoque rectius factu- rum fuisse *Martinum* existimo, si aut Latina pro Gallis substituisset, aut ea hisce subiunxisset, ne uisus esset solis Gallis Commentationem suam scripsisse. Ad PVFENDORFIVM cum Te rediisse conspicio, lubet istis, quae iam ante notaui, addere (1) quod, dum *irregularem* uocauit formam Germanici Imperii, in latissimo sensu, ut quascunque formas, praeter tres illas simplices, notet uocabulum istud intellectum uoluerit, licet hunc sensum quodammodo in Discursu suo occultauerit, prout ex literis secretioribus, ad L. Fratrem apparet: (2) ne imponeret imprudenter isto uocabulo indoctis atque incautis, uidens parum solida aut acutis ingeniis digna ab aliis proferri, solum CHRISTIANVM a TEVTENBVRG, cuius solida disquisitio solidam laudem est merita, si excipias, ipse tandem omni ulteriori dissimulatione remota, quae uera sit sua sententia, istis in literis exposuit, dum Germanicum Imperium Monarchiam Aristocratia prudenter temperatam esse fatetur. Quam sententiam explosis quibuscunque aliis, omnes Rerum Germanicarum peritiores mecum approbant. Quod attinet ipsius *Elementa uniuersalis Iurisprudentiae* tanto eruditorum applausu excepta, ut plu-

pluribus locis ac uicibus proſtent excuſa, tu alium, quam qui nomen ſuum praeſcripſit, *Pufendorfium*, auctorem, eumque aliquem in puluere *Euclideo* Doctorem eſſe exiſtimas. Enimuero, ingenue quidem ipſe *Pufendorfius* in Praefat. ad Lect. Cl. Dn. ERHARDVM WEIGELIVM, in Academia Ienenſi Mathematum Prof. primum ſe hortatum eſſe, ut in hoc Doctrinae genere aliquid conaretur , eiusque ingenium in nonnullis facem ſibi praetuliſſe utiliſſime, fatetur; at minime credo propterea, *Pufendorfium Weigelii* ſubripuiſſe labores. Nec enim ipſe ita impudens, ut auſus id fuerit; nec *Weigelius* tam patiens, ut intra octennium integrum, & quod excurrit, plagium huiusmodi non manifeſtauerit, cogitari poteſt, praecipue cum expreſſis uerbis, tum in Dedicatione ad Sereniſſimum PALATINVM El. tum alibi ſe *Pufendorfius* uerum iſtius ſcripti auctorem profiteatur intrepide. Caeterum, quas laudes in ipſius honorem meritas profers, uerae omnino & *Pufendorfio* dignae mihi uidentur. Iam de SPRENGERO quid cenſes?

Labro: Nihilo modeſtius Sprengerum, quam caeteros excepit, a laude alioquin & labore commendatiſſimum uirum.

Merc.: Melior mihi *Sprengerus* uidetur ICtus, quam Politicus, magisque *Vlpiani* ac *Scaeuolae* de iure priuato traditis regulis imbutus, quam Architectonicae Philoſophiae praeceptis inſtructus, ut feli- eius ipſum lites in foro ius dicendo diremptururn, quam Rempublicam ad ueram felicitatem conſequendam compoſiturum eſſe putes.

Apollo: Ergo eiusdem fere, cuius *Sarckmasius*, es sententiae? Sane si dicendum, quod res est, fateri cogor & ipse non adeo magnam, quam caeteris, iniuriam in sua censura *Sarckmasium* fecisse *Sprengero*, cum nemo negare possit, ita eum scripsisse, ut ipsius quidem commendanda sit industria, qua tamen nihilominus optime hactenus de eruditis est meritus, et accuratius aliquando desiderari possit iudicium. Sequentem in tuo ordine Scriptorem, IOH. FRID. HORNIVM, sic satis modeste a te exceptum esse uideo, quod laudo. De uno tamen alteroque admonendus es. *Sarckmasi*, (1) quod ipse tibi debuisses cauere, ne Spiritus conditione tua altiores (dum summos quosque uiros ad censorium tuum tribunal non dubitasti uocare) sumsisses, quod factum reprehendis in *Hernio*, num uere, an falso, non uacat nunc disquirere. Id tamen mihi constat, longe ultra communem uulgi eruditorum sortem a benigna natura euectum esse praeclarum *Hornii* ingenium, eumque, ut maiori uersaretur in luce, mereri, tecum confiteor. Quod *Wittebergam* non expectauerit, nec ad te, nec ad me quidquam attinet, ipse uideat, quas ob causas noluerit. (2) quod ipsum in Architectonica sua multa coepisse architectari, & sapiente indigna & uiro cordato minime ferenda scribis, bene fecisses, si uel extremo saltem digito ea indicasses, ut examinari potuerint; iam cum hac uice a Te non factum sit, ut propediem facias, moneo. Sed quo minus exacte caetera in tuo de Frieder. *Hornio* iudicio uentilare queamus, alia, quae nobis agenda sunt, negotia nunc prohibent. Itaque ad IACOBVM le BLEV nos

con-

uertimus, quem praeclaris efficere elogiis tu dignum putasti, prae ceteris, & ita quidem, ut ipsi *Philippo Cominaeo rerum maiestate in quam plurimis priorem esse* iudicaueris. Vt itaque ex descriptione *Cominaei* eo magis constet de uirtutibus *Le Bleu*, quem cum illo comparare non dubitasti, sciendum est, quod Cominaeus, (Amplissimo *Boeclero* obseruante in Dissert. sua, quam inscripsit: *Historia Scholae Principum*, n. 1.) obseruatione fuerit acutus, iudicio solers, prudentia copiosus, & quod omnibus caeteris laudibus sublimius raro apud alios deprehenditur, probitatis, conscientiae, reuerentiae erga fatum & fatales euentus perpetuis notis mixtissimus. Illud quoque laude dignum habet, quod ubi rei dignitas, cognitionis utilitas, usus & applicationis dexteritas, postulare moram uidetur, subsistit, lectoremque suum tanquam in re praesenti cum cura & fide instruit. Haec itaque eadem cum sibi sequenda proposuerit *le Bleu*, ceu ipsius scripta ostendunt, non difficilis tibi, *Sarckmasi*, assentior. *Maximam doctrinae indolem* probant imprimis Instructio *futuri Consiliarii*, & *Lilietum nouis florum Politicorum accessionibus consitum, ad illustrationem operis, cui Tit. Ministerium Cardd. Richelieu ac Mazarini.* Linguarum exterarum peritiam etiam negare non possum. Verbo: omnia, quae in hoc iudicio profers, approbanda & laudanda mihi uidentur. O si tam aequum censorem Te praebuisses quoque caeteris, ac praebuisti Te Dno *Le Bleu*! *Sed facta non possunt reddi infecta, in posterum spero, te cautiorem futurum.*

Labro: Le Bleuio ut mortuo parcat, ipsa pietas ipsi persuadebit.

Apollo: Iam uirum producis in scenam ob compendia sua uaria notissimum, GEORGIVM scilicet HORNIVM. Vellem quidem falsa esse, quae tu in huius censura protulisti, omnia, sed cum a ueritatis studio deflectere ne latum quidem unguem constituerim, non possum non profecto fateri, esse aliquando ipsius opuscula erroribus permixta; num uero propterea, quod uel iudicio satis acuto destitutus sit, uel quod non debitam istis elaborandis adhibuerit industriam, id acciderit, decernere non possum. Videtur tamen suam in iis scribendis praecipitantiam ipse quodammodo agnouisse, cum nuper in aliqua praefat. monuerit Bibliopolas, ne ullum suorum compendiorum recuderent, quoniam ipse, quae adhuc in illis desiderantur suppleturus, & correcturus sit. De Absurdis *Arcae Mosis* dudum uiri docti conquesti sunt, eamque famam illam, quam sibi *Hornius* in superiori Germania conciliauerat, non parum minuisse dixerunt. Inter omnia autem, quae hactenus edidit, scripta praestantissimum censetur *Orbis Politicus*. Qualem uirum se praebuerit in Notis, quas nuperrime scripsit in *Sleidani IV. Monarchiarum Historiam*, instantibus Nundinis Lipsiensibus, quas ipsarum copiam nobis communicaturas esse percepi, uideri poterit. Caetera quae in huius Cl. Viri contemptum scripsisti, non scripta esse mallem, praecipue cum, nescio qua ex inuidia, nec a conuiciis in ipsum tibi temperare potueris, sed phrenesin etiam audacissime eidem obieceris. Ego hunc ui-

rum-

rum, ut laborioſiſſimum, ita optime de hiſtoriarum atque Politicae Prudentiae tironibus meritum aeſtimo, ſed & quaedam inſuper in editis opuſculis occurrere, quae eruditioribus quoque palatum cieant, agnoſco, nec in iis, ubi forſan aliqui errores occurrunt, tam defectum, quam neglectum iudicii deſidero. Dabit tamen operam, ut ſtet ſuis promiſſis, & accuratiori cura emendata ſua ſcripta nobis propediem denuo communicet.

Apollo: SPENERO porro quod iterum obiicis, quod ipſe Theologus Politicum uelit praeferre, ad iſtud iam ſupra tibi reſponſum eſt.

Labro; De SPENERO eo minus ingenue iudicat Sarckmaſius, quod ſuum Theologis dederit nomen. Nil tamen prohibet, quo minus ſpectatisſimi Theologi pietas cum ſolidisſima rerum ciuilium hiſtoriarumque cognitione poſſit conciliari.

Merc. Recte iudicas, *Labro*. Nam coniuncta eſſe poſſe haec ſtudia in uno ſubiecto, ſi aptum ipſi ſit ingenium, ut taceam exempla illorum, qui in duabus, aut etiam in tribus Facultatibus publicis Doctoratus inſignibus ornati ſunt, uel ſolus *Conringius*, ὁ πάνυ, declarat.

Labro: Scilicet quae *Sarckmaſii* inuidia eſt, *licet de Spenero gratulandum ſibi habeat Germania, maluit tamen Gallis, quam populari, quam Germano, quam tanto Doctori gloriae palmam deferre, dum Ius eius Heraldicum Gallicae ſagacitati aut riſum mouere dicit, aut bilem.*

Apollo: In *Spenero* miror *Sarckmaſium* magis

desiderasse iudicium, quam eloquentiam. Hanc etenim carpendi forsan faciliorem ansam reperiisset, cum in huiusmodi materiis tractandis, quales sunt *Speneri*, uix ueniat possibile, ut semper aequalis dicendi possit obseruari Character. Quamuis autem sufficiens haec ad impetrandam ueniam sit ratio, tam iniquus tamen fuit *Sarckmasius*, ut eam *Burgoldensi* ac *Lentulo* neutiquam concedere uoluerit. Iudicium desiderat idem, at non exiguo pollere uidetur *Spenerus*. Merito itaque mitiorem se etiam *Spenero* exhibere debuisset.

Labro: Vtinam uero meliora nos edoceat Sarckmasius, quam quae hactenus a Spenero edocti sumus!

Merc. Quoad Genealogiarum materiam percepi ex amico, simili studio occupatum fuisse aliquando *Sarckmasium*, forsan daturus est operam, ut elucubrationes ipsius mox publicam lucem aspiciant.

Labro: Id susque deque habeo, qui sciam, tantum suppetere ad historiae supellectilem Spenero, quantum uix sperare ausit noster. Atque eius uiri tanta dignitas est, ut Caroli Frisii & Boineburgii heroum, de quibus nulla aetas conticescet, illustrissimorum fauore dignus prae aliis habeatur.

Apollo: uergens in noctem dies institutum nostrum interpellat, & finem nostro discursui imponere admonet, quapropter paucis saltem uidebimus de duobus in ordine ultimis, POPPINGIO atque RELFENDSO HEROMONTANO. Quoad illum fateor, maiorem de ipsius orbe illustrato fuisse

ex-

expectationem, quam ut ei exacte a *Poppingio* satisfactum sit. Interim si in arduis etiam solus aliquando probatur conatus, merito praeclarae *Poppingio* debentur laudes, quod ita bene scripsit, ut uoluntati ipsius ex parte etiam responderet effectus. Quoad hunc, fateris, tibi ex solo titulo notum esse, ex quo tamen te colligere posse porro dicis, non esse eum, quem pollicetur, cum uerbis in eo plerisque utatur barbaris, & minus decore cohaerentibus. Quamuis uero non negari possit, uerba non conuenire satis illustri illi, quam tractat, materiae, nec satis bene cohaerere, tum in titulo, tum in uniuerso tractatu, quaedam insuper accuratius studium requirere, tamē ob multa lectu utilia atque iucunda, quae complectitur iste libellus, neminem, scio, poenitebit eum legisse. Nunc quidem uideo, Te mox formula plures ad Censorium tuum tribunal uocaturum esse, eos scilicet, quos antea nominabat *Labro*, te dicturum etiam esse de exteris, si gratum huius iudicii specimen fore acceperis. *Cum minime tibi committendum esse uideatur; ut uel domi, uel foris, quisquam huic sorti se exemptum posfit gloriari.* At ego tibi auctor sum, ut non solum alios exemptos huic sorti relinquas, sed etiam, quacunque poteris ratione, inuidiam, contemptum, odium, quae iam iam tua audacia in te deri[illegible], rursus auertere studeas.

Labro: *nil addo, monuisse contentus, ut hoc periculoso iudicandi conatu inposterum abstineat Sarckmasius, maiori erga Literarum Patronos reuerentia.*

Merc, Plane idem suadeo & ipse, quantum etenim

no-

nocere possit, tantos sibi excitasse aduersarios, opto ex animo, ne experiaris, cum ego ob tuam eruditionem & uirtutem alias ualde commendabilem te omni meliori fortuna habeam dignissimum.

Labro: *Extremo ego eum rogatum uolo, ingenio ad modestiam & literarum utilitatem recte utatur, & futili censura abstineat manum. Eo nomine quam primum aliquid conabor, quo eius diligentia, haud tamen sine fruge magis & magis prouocetur.*

Sarckm. *quanquam nil eo dixi, nil eo scripsi, ut offenderem, sed ut ingenuo nostri seculi more iudicia consideranda aliis aperirem, nemini simpliciter approbanda praescriberem; quamuis etiam inuidiam, odia, suspiciones, res a me multo alienissimas, non opus sit deprecari cum quicquid fecerim, amore fecerim ueritatis, qua mihi nihil prius unquam fuit, nil prius unquam erit; liberaliter enim iudicaui, a conuiciis abstinui, calumnias abominatus sum; tamen obsequor, quae mea erga Apollinem pietas est, & morem fortasse non inutilem gero.* Nec facile, licet elaborauerim, caetera edere ausim.

Apollo: sic bene facies. Tibi autem, *Labro*, propterea, quod [illegible] imprudenter tantum tumultum in *Parnasso* excitaueris, praecipio, ut quam primum tuis promissis satisfacias, & dignum aliquid *Sarckmasi* diligentia coneris, nec antequam id fiat, uerbulum ulterius proferas. Nos autem, *Mercuri*, quod tam feliciter has turbas composuerimus, merito laetamur. Interea ualete Sarckmasi atque Verasi, utrisque rebus in posterum melius prospicite.

PRO-

XIII PROGRAMMA

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS IN IVDICIA SARCKMASIANA A. R. G. MDC. LXIX.

RECTOR & CONSILIVM ACADEMIAE VITEMBERGENSIS PVBLICVM

Somniant, qui admirationem prudentiae iudicatricis tam cito assequi se posse sperant, quam aut asparagi coquuntur, aut nascuntur fungi; aut si per unam in Parnasso dormiuere noctem, (quod ueterum nonnulli crediderunt) adeo se doctos euasisse putent, ut alto prae se omnes supercilio contemnant. Est tamen genus hominum, quod grassari ad praecocem famam, etiam per praeceps, de se improuide securum, nec meritorum qualiumcunque, nec uirtutis excellentioris sibi conscium, cum detrimento ac ruina maximorum alioqui nominum haud subueretur. Iuuenis Macedo *Pausanias Hermoclem* percontatus, *ecquonam modo Clarus euadere subito posset?* responsi istud tulit, *si illustrem uirum aliquem occidisset, futurum, ut illius gloria ad ipsum quoque redundaret*; *continuo Philippum Regem interemit*. Et quidem quod petierat, (*Maximo* notante) assecutus est. Tam enim se parricidio, quam *Philippus* uirtute, notum posteris effecit. *Ut magna scilicet uiuorum admiratio existat*, multis magnisque pro publico egregio meritis opus ante, & modestiae inter reliquas uirtutes opera non minima nauanda est, quam quicquam solidi polliceantur nobis. Quisquis

quis suo se metiri modulo secumque habitare didicit, non aut petulanter insectatur bene meritos, aut existimationi eorundem detrahit. *Quorum ut est difficilis censura*, ita Aristarchum agere, tam arduum, quam non cadere in lanuginem primam illam potest. Iam si hoc praemii aut mercedis relaturi tandem pro scriptis publicis insignibus praeclari sapientesque uiri sunt, ut liceat Cuilibet, quod libet, illinere famosis chartis; quis pro literarum ornamentis, quis pro posteritate laborabit amplius? Horum sane memorem omnium te esse oportebat, qui SARCKMASII ad ludibrium fatale nomen induisti nuper, cum tot Academiarum, tot locorum aliorum celeberrima nomina, libello nescio quo mordaci & satyrico, (Iuuenis de uiris senibusque, tyro de militiae literariae Antesignanis, nulla iniuriae cognitis memoria, iudicium iniquissimum laturus) mixtis ad speciem quandoque laudibus, notare sugillareque non uerecundareris. Numquid uero iuris prolytam, qualem te profiteris, latuit, quid exigat *SCtum Turpilianum* istud? *Calumniae caussa puniuntur, qui in fraudem alicuius librum, uel testimonium, aliunde quid conquisiuisse uel in iudicium protulisse dicuntur.* Et ut latuisset, non ignorare tamen aut uiolare leges Academicas, pro quarum obseruantia, obstrictus sacramento Nobis ciuis es, debueras; quas ut tibi in memoriam huc reuocemus, nihil uetat: *Famosos libellos spargere, dictis petulantibus amarisque conuiciis sauciare aliorum famam, uitium esto: qui fecerit, relegetur. Sed nec typis publicis committetur quisquam, siue id prosa siue uer-*

sa

sa oratione conditum sit, nisi id ante Professor Ordinarius, cui proprie competit, Censuram ferre de illo script probauerit, permiseritque. Has cum insuper habueris, odium profecto & infames titulos Parnasso nostro, tua solius culpa parauisses facile, si quidem in hoc tuum Cacoethes conniuisse prorsus uideremur. In cuiuscunque manus ergo aut uenerunt, aut uenient inposterum pagellae, quibus sequens titulus praefixus.

IUDICIA.

DE.

NOUISSIMIs PRUDENTIAE CIUILIS SCRIPTORIBVS EX PARNASSO

cum

EUBULO THEOSDATO SARCKMASIO.

In secessu Albipolitano ingenue communicata &c.

Neque uisas Professorum ulli, antequam exscriberentur typis, neque approbatas aut permissas, quin confiscata protinus exempla, quae tum aderant, inquisitumque in Auctorem scripti & typographum, grauissimeque a Nobis castigatum uerbis, & ut talium desineret postinde, monitum fuisse, quorumcunque eius interest, scire illos uolumus. Et fecissemus prius, nisi ueniam aetati, & ingenio, si collocetur melius, haud absurdo, dandam esse aliquam, ut, PATRES, duxissemus. Nunc, dum tot passim saturae & responsa aures uellicant quasi, ut honori consulatur Academiae, necessitas uidetur imperare. Quanquam contemtu potius, quam operosa confutatione uindicandas chartas istiusmodi a generosis animis existimemus.

Labro: Le Bleuio ut mortuo parcat, ipsa pietas ipsi persuadebit.

Apollo: Iam uirum producis in scenam ob compendia sua uaria notissimum, GEORGIVM scilicet HORNIVM. Vellem quidem falsa esse, quae tu in huius censura protulisti, omnia, sed cum a ueritatis studio deflectere ne latum quidem unguem constituerim, non possum non profecto fateri, esse aliquando ipsius opuscula erroribus permixta; num uero propterea, quod uel iudicio satis acuto destitutus sit, uel quod non debitam istis elaborandis adhibuerit industriam, id acciderit, decernere non possum. Videtur tamen suam in iis scribendis praecipitantiam ipse quodammodo agnouisse, cum nuper in aliqua praefat. monuerit Bibliopolas, ne ullum suorum compendiorum recuderent, quoniam ipse, quae adhuc in illis desiderantur suppleturus, & correcturus sit. De Absurdis *Arcae Mosis* dudum uiri docti conquesti sunt, eamque famam illam, quam sibi *Hornius* in superiori Germania conciliauerat, non parum minuisse dixerunt. Inter omnia autem, quae hactenus edidit, scripta praestantissimum censetur *Orbis Politicus*. Qualem uirum se praebuerit in Notis, quas nuperrime scripsit in *Sleidani IV. Monarchiarum Historiam*, instantibus Nundinis Lipsiensibus, quas ipsarum copiam nobis communicaturas esse percepi, uideri poterit. Caetera quae in huius Cl. Viri contemptum scripsisti, non scripta esse mallem, praecipue cum, nescio qua ex inuidia, nec a conuiciis in ipsum tibi temperare potueris, sed phrenesin etiam audacissime eidem obieceris. Ego hunc uirum

rum,ut laboriosissimum,ita optime de historiarum atque Politicae Prudentiae tironibus meritum aestimo, sed & quaedam insuper in editis opusculis occurrere, quae eruditioribus quoque palatum cieant, agnosco, nec in iis, ubi forsan aliqui errores occurrunt, tam defectum, quam neglectum iudicii desidero. Dabit tamen operam, ut stet suis promissis, & accuratiori cura emendata sua scripta nobis propediem denuo communicet.

Apollo: SPENERO porro quod iterum obiicis, quod ipse Theologus Politicum uelit praeferre, ad istud iam supra tibi responsum est.

Labro; De SPENERO eo minus ingenue iudicat Sarckmasius, quod suum Theologis dederit nomen. Nil tamen prohibet, quo minus spectatissimi Theologi pietas cum solidissima rerum ciuilium historiarumque cognitione possit conciliari.

Merc. Recte iudicas, *Labra.* Nam coniuncta esse posse haec studia in uno subiecto, si aptum ipsi sit ingenium, ut taceam exempla illorum, qui in duabus, aut etiam in tribus Facultatibus publicis Doctoratus insignibus ornati sunt, uel solus *Conringius*, ἐπάνω, declarat.

Labro: Scilicet quae *Sarckmasii* inuidia est, *licet de Spenero gratulandum sibi habeat Germania, maluit tamen Gallis, quam populari, quam Germano, quam tanto Doctori gloriae palmam deferre, dum Ius eius Heraldicum Gallicae sagacitati aut risum mouere dicit, aut bilem.*

Apollo: In *Spenero* miror *Sarckmasium* magis

 de-

desiderasse iudicium, quam eloquentiam. Hanc etenim carpendi forsan faciliorem ansam reperiisset, cum in huiusmodi materiis tractandis, quales sunt *Speneri*, uix ueniat possibile, ut semper aequalis dicendi possit obseruari Character. Quamuis autem sufficiens haec ad impetrandam ueniam sit ratio, tam iniquus tamen fuit *Sarckmasius*, ut eam *Burgoldensi* ac *Lentulo* neutiquam concedere uoluerit. Iudicium desiderat idem, at non exiguo pollere uidetur *Spenerus*. Merito itaque mitiorem se etiam *Spenero* exhibere debuisset.

Labro: Vtinam uero meliora nos edoceat Sarckmasius, quam quae hactenus a Spenero edocti sumus!

Merc. Quoad Genealogiarum materiam percepi ex amico, simili studio occupatum fuisse aliquando *Sarckmasium*, forsan daturus est operam, ut elucubrationes ipsius mox publicam lucem aspiciant.

Labro: Id susque deque habeo, qui sciam, tantum suppetere ad historiae supellectilem Spenero, quantum uix sperare ausit noster. Atque eius uiri tanta dignitas est, ut Caroli Frisii & Boineburgii heroum, de quibus nulla aetas conticescet, illustrissimorum fauore dignus prae aliis habeatur.

Apollo: uergens in noctem dies institutum nostrum interpellat, & finem nostro discursui imponere admonet, quapropter paucis saltem uidebimus de duobus in ordine ultimis, POPPINGIO atque RELFENDSO HEROMONTANO. Quoad illum fateor, maiorem de ipsius orbe illustrato fuisse

ex-

expectationem, quam ut ei exacte a *Poppingio* satisfactum sit. Interim si in arduis etiam solus aliquando probatur conatus, merito praeclarae *Poppingio* debentur laudes, quod ita bene scripsit, ut uoluntati ipsius ex parte etiam responderet effectus. Quoad hunc, fateris, tibi ex solo titulo notum esse, ex quo tamen te colligere posse porro dicis, non esse eum, quem pollicetur, cum uerbis in eo plerisque utatur barbaris, & minus decore cohaerentibus. Quamuis uero non negari possit, uerba non conuenire satis illustri illi, quam tractat, materiae, nec satis bene cohaerere, tum in titulo, tum in uniuerso tractatu, quaedam insuper accuratius studium requirere, tamẽ ob multa lectu utilia atque iucunda, quae complectitur iste libellus, neminem, scio, poenitebit eum legisse. Nunc quidem uideo, Te mox formula plures ad Censorium tuum tribunal uocaturum esse, eos scilicet, quos antea nominabat *Labro*, te dicturum etiam esse de exteris, si gratum huius iudicii specimen fore acceperis. *Cum minime tibi committendum esse uideatur, ut uel domi, uel foris, quisquam huic sorti se exemptum possit gloriari.* At ego tibi auctor sum, ut non solum alios exemptos huic sorti relinquas, sed etiam, quacunque poteris ratione, inuidiam, contemptum, odium, quae iam iam tua audacia in te deri[illegible], rursus auertere studeas.

Labro: *nil addo, monuisse contentus, ut hoc periculoso iudicandi conatu inposterum abstineat Sarckmasius, maiori erga Literarum Patronos reuerentia.*

Merc. Plane idem suadeo & ipse, quantum etenim

no-

nocere possit, tantos sibi excitasse aduersarios, opto ex animo, ne experiaris, cum ego ob tuam eruditionem & uirtutem alias ualde commendabilem te omni meliori fortuna habeam dignissimum.

Labro: *Extremo ego eum rogatum uolo, ingenio ad modestiam & literarum utilitatem recte utatur, & futili censura abstineat manum. Eo nomine quam primum aliquid conabor, quo eius diligentia, haud tamen sine fruge magis & magis prouocetur.*

Sarckm. quanquam nil eo dixi, nil eo scripsi, ut offenderem, sed ut ingenuo nostri seculi more iudicia consideranda aliis aperirem, nemini simpliciter approbanda praescriberem; quamuis etiam inuidiam, odia, suspiciones, res a me multo alienissimas, non opus sit deprecari cum quicquid fecerim, amore fecerim ueritatis, qua mihi nihil prius unquam fuit, nil prius unquam erit; liberaliter enim iudicaui, a conuiciis abstinui, calumnias abominatus sum; tamen obsequor, quae mea erga Apollinem pietas est, & morem fortasse non inutilem gero. Nec facile, licet elaborauerim, caetera edere ausim.

Apollo: sic bene facies. Tibi autem, *Labro*, propterea, quod [illegible] imprudenter tantum tumultum in *Parnasso* excitaueris, praecipio, ut quam primum tuis promissis satisfacias, & dignum aliquid *Sarckmasi* diligentia coneris, nec antequam id fiat, uerbulum ulterius proferas. Nos autem, *Mercuri*, quod tam feliciter has turbas composuerimus, merito laetamur. Interea ualete Sarckmasi atque Verasi, uestrisque rebus in posterum melius prospicite.

PRO-

XIII PROGRAMMA
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IN
IVDICIA SARCKMASIANA
A. R. G. MDC. LXIX.

RECTOR & CONSILIVM
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
PVBLICVM

Somniant, qui admirationem prudentiae iudicatricis tam cito assequi se posse sperant, quam aut asparagi coquuntur, aut nascuntur fungi; aut si per unam in Parnasso dormiuere noctem, (quod ueterum nonnulli crediderunt) adeo se doctos euasisse putent, ut alto prae se omnes supercilio contemnant. Est tamen genus hominum, quod grassari ad praecocem famam, etiam per praeceps, de se improuide securum, nec meritorum qualiumcunque, nec uirtutis excellentioris sibi conscium, cum detrimento ac ruina maximorum alioqui nominum haud subueretur. Iuuenis Macedo *Pausanias Hermoclem* percontatus, *ecquonam modo Clarus euadere subito posset?* responsi istud tulit, *si illustrem uirum aliquem occidisset, futurum, ut illius gloria ad ipsum quoque redundaret*; *continuo Philippum Regem interemit*. Et quidem quod petierat, (*Maximo* notante) assecutus est. Tam enim se parricidio, quam *Philippus* uirtute, notum posteris effecit. *Ut magna scilicet uiuorum admiratio exist at*, multis magnisque pro publico egregio meritis opus ante, & modestiae inter reliquas uirtutes opera non minima nauanda est, quam quicquam solidi pollicentur nobis. Quis-

quis

quis suo se metiri modulo secumque habitare didicit, non aut petulanter insectatur bene meritos, aut existimationi eorundem detrahit. *Quorum ut est difficilis censura*, ita Aristarchum agere, tam arduum, quam non cadere in lanuginem primam illam potest. Iam si hoc praemii aut mercedis relaturi tandem pro scriptis publicis insignibus praeclari sapientesque uiri sunt, ut liceat Cuilibet, quod libet, illinere famosis chartis; quis pro literarum ornamentis, quis pro posteritate laborabit amplius? Horum sane memorem omnium te esse oportebat, qui SARCKMASII ad ludibrium fatale nomen induisti nuper, cum tot Academiarum, tot locorum aliorum celeberrima nomina, libello nescio quo mordaci & satyrico, (Iuuenis de uiris senibusque, tyro de militiae literariae Antesignanis, nulla iniuriae cognitis memoria, iudicium iniquissimum laturus) mixtis ad speciem quandoque laudibus, notare sugillareque non uerecundareris. Numquid uero iuris prolytam, qualem te profiteris, latuit, quid exigat *SCtum Turpilianum* istud? *Calumniae causa puniuntur, qui in fraudem alicuius librum, uel testimonium, aliunde quid conquisiuisse uel in iudicium protulisse dicuntur.* Et ut latuisset, non ignorare tamen aut uiolare leges Academicas, pro quarum obseruantia, obstrictus sacramento Nobis ciuis es, debueras; quas ut tibi in memoriam huc reuocemus, nihil uetat: *Famosos libellos spargere, dictis petulantibus amarisque conuiciis sauciare aliorum famam, uitium esto: qui fecerit, relegetur. Sed nec typis publicis committetur quisquam, siue id prosa siue uer-*

sa oratione conditum sit, nisi id ante Professor Ordinarius, cui proprie competit, Censuram ferre de illo script probauerit, permiseritque. Has cum insuper habueris, odium profecto & infames titulos Parnasso nostro, tua solius culpa parauisses facile, si quidem in hoc tuum Cacoethes conniuisse prorsus uideremur. In cuiuscunque manus ergo aut uenerunt, aut uenient inposterum pagellae, quibus sequens titulus praefixus.

IUDICIA.

DE.

NOUISSIMIs PRUDENTIAE CIUILIS SCRIPTORIBVS EX PARNASSO

cum

EUBULO THEOSDATO SARCKMASIO.

In secessu Albipolitano ingenue communicata &c.

Neque uisas Professorum ulli, antequam exscriberentur typis, neque approbatas aut permissas, quin confiscata protinus exempla, quae tum aderant, inquisitumque in Auctorem scripti & typographum, grauissimeque a Nobis castigatum uerbis, & ut talium desineret postinde, monitum fuisse, quorumcunque eius interest, scire illos uolumus. Et fecissemus prius, nisi ueniam aetati, & ingenio, si collocetur melius, haud absurdo, dandam esse aliquam, ut, PATRES, duxissemus. Nunc, dum tot passim saturae & responsa aures uellicant quasi, ut honori consulatur Academiae, necessitas uidetur imperare. Quanquam contemtu potius, quam operosa confutatione uindicandas chartas istiusmodi a generosis animis existimemus.

P. P.

P. P. Dominica EXAVDI, anno recuperatae per Christum gratiae CIƆ. IƆC. LXIX

XIV. *Conradi Samuelis Schurtzfleischii* EPISTOLA *ad* *VIRVM CELEBERRIMVM* IOANNEM HENRICVM BOECLERVM.

COLONIAE BRANDENBVRGICAE. (*a*)
Ex Officina *Georgi Schultzi*, Typogr. Elect. 1669.

Nobilissime atque Amplissime Vir,
Patrone in paucis.

Biduum est, *Celeberrime Mecaenas*, quum *tua* mihi offensa nunciatur; nunciatur autem ex longinquo. Subit inde metus, & pauor haud uulgaris. Iamque penetrabat formido animum, cum nouus emergit dolor, uenientibus, qui affirmarent, me uiris, quorum iam adulta fama est, praegrauem, sicut litigandi auidum, ita impatientem esse quietis. Necdum is exolescit dolor, cum aliunde perfertur, me nescio cuius pertinaciae nomine *tibi* suspectum, ab odio & probris subsidia petere scripturae. Sed eae quorundam sinistrae de me sunt opiniones, nec dignae, quas refellam. Longe enim alius, atque hi suspicantur, mihi animus est; nec magis ad obsequendum promtus, quam si errauero, ad emendandum paratus. Quod ut bonae mentis indicium est, ita cum reconciliationis *tuae*, tum facilitatis certam spem praebet. *Tuum* est,

(*a*) vid. Scholia Sarckmasiana. num. IV.

est, quod humanitas suggerit, nil abnuere hominis causa, qui ut labi iudicio potest, ita non diffitetur, si cubi est lapsus. Agnoscit etiam, in quibus se lapsum uidet. Nam, quod Iuuentae nostrae lubricum est, facile declinamus a uia. Multa etiam praecipitamus, plura ignoramus, nil repudiaturi, quo corrigamur, aut redeamus ad frugem. Discere nobis & docere, aeque pulchrum. Uelle proficere, in parte gloriae ponit nondum matura aetas. Monita ad decus referimus & laudem. Reprehensiones eo minus odimus, quo magis destinamus uirtutem. Sed interea erramus saepe, ubi errandi non est propositum. Labimur etiam, dum labi nos, nescimus. Adeo aberrat nondum composita aetas; iam nimis in agendo praeceps, iam in deliberando imprudens. Id sicut experiendo didicimus, ita asperitatem interpretamur & malitiam, nolle reprehendi, cum aguntur, quae digna sunt reprehensione. Ad me haec pertinere, non negabis, *uir Celeberrime*, qui ut maxime nullum *tui* offendendi Consilium ceperim, tamen uideor offendisse. Abfuit uero a me odium, abfuit inuidia, abfuit dolus. Nil superest poenitendum, nisi inconsulta festinatio. Cui ignosces, quia ignoscere humanum iuxta est & pium. Tum uero scriptum, cuius nomine indignaris, alius fecit, alius uulgauit. Ego, in cuius fortuito uenerat manus, in conspectum protuli & lucem. Commodum uenit operarum magister, & quid habeam, uidet. Nec uidisse contentus, tradendum petit. Annuo petenti; & scripti, In quo continendo cautiorem esse oportuit, copiam facio. Ita dum illi officium praesto, mihi periculum accerso. Is enim nescio cupiditate quaestus, an nouitate rei, priuato consilio edendum curat. Quaerenti, cur iniussu meo id ausus fuerit, uarias excusandi affert causas. Quid facerem ego? Factum

non poterat reddi infectum. Nec tamen inulta haec imprudentia erat. Standum in senatu, & erratum grauissima expiandum animaduersione fuit. Iam lui satis, si quid merui. Spero tandem, huius quoque indignationis finem fore. Eo maxime, quod, si quisquam, *tu* certe scias, augeri ex eo laudem, unde seueritas aduersus lenia minuatur. Est, *tibi*, fateor, me iuuandi potentia & nocendi. Iuuabis autem, quia benignus; condonabis, quia facilis es, dum ita me *tibi* & *omnibus quorum [enter est de Iudiciis excuso detestor Vindicias Parani.* Has, antequam ederentur, nec uidi ego, nec approbaui. Demit ille *tibi*, quae nemo hactenus. Facessat ergo hinc, qui probris studuit, rationes uero aut neglexit praefracte, aut ignorauit turpiter. Ego dum Suadam pensitarem *tuam*, *te* supra *caeteros* extuli, & caussas habui extollendi. *Paranus*, ut proiecta hominis audacia est, uera detrahit, manifesta negat, falsa defendit, dubia asserit, inepta disceptat. Maior es, quam ut metuas ab homine inscito pariter & insulso. Nouit *te* literatus Orbis, & colit. Ad haec facundiam, qua polles, summam aeque miratur, ac diuinam illam prudentiam, qua *tibi* non magis nostrum, quam postera secula deuinxisti. Iniurias, quarum postulas *Paranum*, innocentia *tua* facile diluet. Me, ut habeas, quomodo auerser hominem, taedet eius legere quisquilias. Iam quoque malis consultis iusta ultio adest; quam ut maxime tegat ad tempus, erit tamen, cum erumpet, prius etiam, quam credas. Adhaec obscurus homo, obscurus hostis est. In quo caue gloria *tua* obsolescat. Quin serua *te* arduis nec aestima, quod infra *tuam* est dignitatem. Nil *Tibi caeterisque*, qui in eadem sunt caussa, honorificentius erit, quam generosum silentium. Interim facias, quod libet. Nil autem, scio, libet, nisi aequum, & nomine *tuo* dignum. Ego utcunque res casura est, fatebor, me, donec uiuam, *tui* nominis fore studiosissimum. Hanc do fidem: hanc, ut recipio, in perpetuum seruabo. Modo *tu* aequa postulantem, aequa impetrare sinas. Id demum *tibi* in magna fortuna decus, mihi in mediocri leuamentum erit.

Vale.

BEROLINI Non. Sextil. A. CIƆ. IƆC. LXIX.

SCHO-

XV. SCHOLIA, QVAE EXEMPLARI SVO (a) ADSCRIPSERAT *SARCKMASIVS.*

Nominum mysteria in Parnasso, ad Saturam composito, aperire, ingenuum & pariter utile est.

Ad No. XV. Iudiciorum.

I. RELFENDSO HEROMONTANVS, auctorem habet ROSENFELDIVM, iam Lipsiae commorantem, Ienae Iuris, ut uocant, Doctorandum.

Ad uerba: *Seditionem concitasse.*

II. Huc quadrat illud *Verasii* pag. 52. §. 1. qui affirmat, *Sarckmasium in Parnasso turbas dedisse aut seditionem concitasse.* Ille ludit, noster calumniatur.

Ad uerba: *Labronis a Verasio.* pag. 52.

III. VERASIVM SARCKMASIO imputant, temperandae, aut delendae potius, iudiciorum libertati, aut, si mauis, mitigandae quorundam acerbitati, comparatum.

Ad uerba: Initia Vindiciarum. pag. 155.

IV. INITIORVM VINDICIARVM, omnes censent SARCKMASIVM esse auctorem, qui tamen se purgat in *Epistola* ad *Boeclerum*, qui eum in Senatu Sanctiori Dresdensi postulauit iniuriarum; uerene, an simulate, se purgauerit, non attinet hic dicere.

ad pag. 211. Ad uerba: *a Florido de Montalbano,*

V. *COLLOQVIVM* alii *REFORMATO NOBILI,* alii *HENELIO,* tribuunt, iam Berolini commoranti.

Ad uerba: *Petri Nasturtii.* pag. 73.

VI. *Nasturtius* aut a *BOECLERO* ipso uenit, aut a *DISCIPVLO* eius non inscito, sed nimis calumniis abrepto. Aiunt *Boeclerum* apud Caesarem effecturum, ut *Sarckmasio* silentium imponatur. Sed uel ultro silebit *Sarckmasius,* modo sileat *Boeclerus,* aut saltem abstineat ca-

S 2 lu-

(a) Dolendum maxime, quod haec scholia non suis in locis inserta fuerunt in exemplari mecum communicato. Interim quantum ob temporis breuitatem fieri potuit, remissionibus illa dilucidiora reddidi.

& Status Reipublicae, quam in Philosophia morum, s. melior Statista, quam moralista. Contrarium de *Grotio* uerum, quem tamen nobis reddere uult Conringius.

Ad p.58.§.7. *Saturae Sarckmasianae à Verasio editae.*

XII. Clapmarius a Schockio mutilatus est. *Sagittarii Notas* aut inuertit, aut peruertit, aut omittit. Suas inserit, Saepe digniores quae omitterentur. Sed condonabo homini errorem, eum, si uiueret, facile deprecaturo, si rectiora esset monitus.

Ad N. III. Iudic. uerba : *Pacificus a Lapide.*

XIII. Tegitur adeo gnauiter ab *Oldenburgero*. Detegit eum *Pufendorfius* p. 28. 29. in Disquis. de Republica Irregulari, A. 1669. edita.

ad pag. 175. Ad uerba: *quia ipsi iam dulcis est aut fuit.*

XIV. Das ist der Schwedische Schilling/ dignum rectorali per id tempus insula praemium.

Ad N. V. Iudic. uerba : *Thalaeum.*

XV. *Dallaeum* scribere uolui. Miror, hoc nemini aduersariorum esse obseruatum. Is laudatus *Meiero*, Biblioth. Theol. contractae p. 221. 241. Lipsiae non semel commendatus. Peregrinatus ergo animus fuit *Lentuli*, cum refutaret *Sarckmasium*

Magis ingenio promptus, quam constans.)

XVI. Cogitationes quoque satis celeres, si semper satis sunt maturae. Aliquando autem uacillat, aut ineptit; sine cerebro iudicare, non dixerim Theologos odit, cum ipse Theologus fuerit eo peior ipsorum hostis, quo maior antehac amicus. Omnia degustat, nil concoquit, delibat plura quam uertit in succum. Nec semper a iudicio partium est alienus. Tum uero nolim celare, quid de me ipse sentiam. Non enim mihi sum suffenus, aut erroribus meis blandior. Indignum id homine, nedum sapiente, est.

Ad N. XIII. Iud. verba : *Theologus Politicum &c.*

XVII. Omitti potuissent imo debuissent, quia nil minus quam Politicus est. Ex usu nostratis aeui Theologum esse, negare nolim.

Eten-